Q. D. B. V. 3.

EXPERIMENTVM CONCILIATIONIS ΕΝΑΝΤΙΟΦΑΝΩΝ IN DECISIONIBVS MEVIANIS:

QVOD


IN LOCVM

DISPVTATIONIS INAVGVRALIS,

AVCTORITATE ET DECRETO

INCLYTI JCTORVM ORDINIS

HABENDÆ,



PRÆSIDE

ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO

DN. NICOLAO CHRISTOPHORO LYNCKER,

HÆREDITARIO DOMINO IN FLVRSTÆT

ET KOETSCHAV:

JC. CONSILIARIO SAXO VINARIENSI INTIMO,

PRÆSIDE FACVLTATIS JVRIDICÆ

ET SCABINATVS ORDINARIO,

ANTECESSOR. ATQVE CVRIÆ PROVINC. ASSESS. PRIMARIO

VT ET COLLEGII JVRIDICI H. T. DECANO:

DN. PATRONO ET PROMOTORE SVO ÆTATEM DEVENERANDO:

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA LEGITIME CONSEQVENDI,

PVBLICÆ DISQVISITIONI TRADIT

GVSTAV. CAROL. SCHARNHORST,

VERDENSIS.

AD DIEM ___ JVNII, HORIS LOCOQVE CONSVETIS.

JENÆ,

LITERIS WERTHERIANIS. CIϽ IϽC XCIV.

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS SVEDICÆ

PER

DVCATVM BREMENSEM ET VERDENSEM

EXCELLENTISSIMO ATQVE ILLVSTRISSIMO

DN. GVBERNATORI GENERALI,

PERILLVSTRI ATQVE GENEROSISSIMO

DN. PRÆFECTO MILITIÆ SVMMO,

ILLVSTRI PARITER ET GENEROSISSIMO

DN. CANCELLARIO,

VT ET

TOTIVS REGIMINIS

GENEROSISSIMIS AC PERSTRENVIS

DNN. CONSILIARIIS,

VIRIS EMINENTISSIMIS.

DOMINIS MAECENATIBUS ATQUE PATRONIS GRATIOSISSIMIS, MAXIMIS,

HVMILLIME ET OBSERVANTISSIME COLENDIS,

FELIX REGIMEN
PERENNEM FELICITATEM
VITAM LONGÆVAM
ET OMNE BONVM

DEVOTE PRECATVR;

AC SPECIMEN HOC INAVGVRALE,

IN FIDEM, GRATISSIMI AC DEVOTISSIMI ANIMI TESSERAM, IN SVI SVORVMQVE STVDIORVM COMMENDATIONEM, MAXIMA CVM SVBMISSIONE

OFFERT ATQVE CONSECRAT

GVSTAV. CAROL. SCHARNHORST.



I. N. J.

PRÆFAMEN.

CUm ab inclyto JCtorum Ordine aditus ad summos in utroque Jure Honores mihi benevolè concessus, ideòq; cogitandum esset de specimine inaugurali: per studium quô meritò teror in Decisiones *Mevianas* summi Tribunalis Regii Wismariensis, ad ea, quæ ambigua in illis visa fuerant, explicanda animũ applicui. Etsi verò hujus rei gravitas, ingenium acutum magis & exercitatum requirens, me abhinc facilè deterrere debuisset. Quoniam tamen in magnis etiam voluisse sat est: speravi me veniam impetraturum, si de aliquali resolutione, magnâ alibi diligentiâ congestorum dubiorum & Variâtionum, ex Decisionibus illis Mevianis, non quidem contradicendi animo, sed publicæ rei gratiâ laborarem. Enimverò tenuitatis meæ abunde, conscius, non mihi tribuo, quasi exactè

dubia illa ſolverim, aut omnes calculos accuratè poſuerim: Hoc enim illorum eſt, quibus divinitus datum, ex effatò Sacratisſimi Imperat: Juſtiniani, in §. *15. de Confirm. ff. ad Senat.* ſubtili animò diverſitatis rationes excutere: Sed tantùm, pro modulo ingenii & conceſſo tempore, tentare volui, quid exiſtimarem dici poſſe, pro Summo JCto, quem fama nunquam interitura, & auctoritas, quàm ſcriptis ſuis in plerisq; Tribunalibus Germaniæ, quaſi cuncta ejus ex Tripode dicta eſſent, ſibi acquiſivit, jam dudum vindicarunt. Ceu hæc, ex encomio, meritis Mevianis dignisſimo, elegantisſimæ præfationi ad Antimonias Mevian. ſubnexò, pleniùs videre licet. Quæ igitur in ſequentibus Reſolutionibus minus convenienter dicta occurrent, mihi, nihil humani à me alienum putanti, ignoſcenda erunt: cui ſufficiet, ſi fortè per hunc laborem anſam dederim aliis, quibus major eruditio, ingenium & uſus, in tali ſcribendi genere, ſuccurrere poterunt, hæc ipſa in melius producendi; ut magis magisque conſtare queat, nihil inutile, nihil perperam, in Deciſionibus illis, ſed omnia quæ in rerum obtinent argumentis, poſita esſe. Ad quod Summum Numen imploro, ut conatibus meis benignè adeſſe velit.

AD

AD VARIATIONEM I.

Videtur B. Dn. Mevius sibi reclamare in quæstione: An si una vel duæ sententiæ sint latæ super causa principali, tertia super desertione: liceat denuò provocare, quasi non essent tres conformes sententiæ? Sed Negativa tantùm ejus est, quòd provocare non liceat, *in Dec. 309. n. 7. P. VII.* quæ, prout patet ex solidè ibidem deductis, juri convenientior. *vid. cit.* Thessaur. Dec. Pedem. *122. n. 11.* Affirmativam verò Cravettæ *cons. 183.* & Covarruv. Pract. quæst. *25. n. 5.* non approbat, sed refert tantùm, in *Dec. 18. n. 5. P. 1.* idque ad magis demonstrandam evidentiam assertionis suæ, in *D. 18.* Postquam enim ibi dixerat: inter tres conformes sententias non connumerandam illam, quæ legitimum revisionis remedium rejicit: id eò magis verum esse putat, cùm Dd. tradant, quòd ne quidem sententia super desertione lata, sit reputanda inter tres conformes: non verò quasi ipse hoc statueret. Nec obstat, quòd dicat *in simili* Dd. tradere, id enim (1.) ex mente citatt. Dd. intelligendum, quòd illi *similiter* putent, non dici tres conformes sententias, ubi una super desertione fertur. (2.) Hoc simile, modò ultra *tertium* non extendatur, secundùm Mevium eatenus admitti posset, quatenus utraque sententia, super desertione & denegatione revisionis, non videbatur ferire causam principalem directò; sed aliud punctum: sicque neutra posset dici conformis prioribus. At verò cùm, eleganter docente Meviô, *Dec. 309.* conformitas sententiarum non pendeat ex verbis, sed mente & effectu, quatenus scil. ad idem tendunt *v. n. 1.* hinc pro fundamento *Dec. 18.* distingu. *inter sententiam, quæ litis ingressum, sine plenâ causæ cognitione, adeoque iniquè impedit, & illam quæ legitime super desertione fertur; postquam appellatio recepta, at ex diffidentia causæ deser-*

P. I. D. 18. n. 5. Non Obstat VII. D. 309. n. 7.

deserta est. Hæc non infert novum gravamen, sed deserens est in culpa: & idem est, ac si post legitimam gravaminum discussionem Judex ad quem contrà appellantem pronunciâsset, prioremque sententiam confirmasset. vid. Gail. *I. O. 138. n. 2.* Illa verò, cùm in dubio procesſus appellatorii recipiendi sint, Gail. *I O. 150. n. 10.* per denegationem processuum illegitimam, & sine causæ cognitione factam, ùt in casu *Dec. 18. P. 1.* de novo gravat, adeoque appellatio ab illa admittenda est. v. *c. 59. X. de Appellat.* Quibus bene perpensis salva res erit, inter *Dec. 18. n. 5. P. 1.* & *Dec. 309. n. 7. P. VII.*

AD VARIATIONEM II.

I. Dec. 45. Non Obst. IV, Dec. 290. Repugnantia putatur extare, inter *Dec. 45. P. 1.* & *D. 290. P. IV.* Sed non necessum erit, ut illam cum hac committamus: cùm Mevius *I. Dec. 45.* non asserat: generalem Germaniæ consuetudinem, quâ sub vocab. *Jurisdictionis* omnimoda Jurisdictio venit, non sufficere pro asserenda jurisdictione criminali: non enim de illa quæstione aut consuetudine ibi agitur; sed videre licet ex *princ. Dec.* ibi tantum allegatam esse illam consuetudinem, quasi in Germania jurisdictio prædio semper cohæreat, & quod ex concessione hujus, inferatur etiam concessio illius. Cum verò hoc non sit universale, sed tantum in aliquibus locis, uti in Pomeraniâ &c. v. *n. 2. Dec. 45.* ita obtineat, ut sola possessio feudi jurisdictionis possessionem arguat: Ergo postquam appellans prætensæ jurisdictionis criminalis, non alium allegasset titulum v. *Dec. 44. post num. 5.* quàm solam possessionem prædii: v. *Dec. 45. n. 4.* meritò decisum, illam particularem consuetudinem, non esse extendendam; sed ejus observantiam, cum facti sit, probandam, per tradita. *n. 4. 5.* v. *c. 1. de Constitut. in 6to. Mascard.*

ſiard. de Probat. concl. 423. n. 20. præſertim ubi ſimilia poſſidentur prædia in eâdem provinciâ ſine jurisdictione. His præmisſis, apparet in *Dec. 290. P. IV.* eandem quidem cauſam eſſe, ſed appellantem alium titulum, nempe, ſe in genere de judicii poteſtate inveſtitum, demonſtraſſe. v. *n. 1. & 8.* Hinc planè alia quæſtio, ac in *Dec. 45.* & demum ea, quæ in *Variatione II.* formatur, ſcilicet: An hodiè, quando quis generaliter de judicio inveſtitur, **wird mit denen Gerichten belehnet**/nec quicquam excipitur, omnimoda jurisdictio, & ſic etiam criminalis, conceſſa ſit. *Affirm. in Dec. 290.* & quidem non ſine ratione: cùm enim hodie ſub vocab. jurisdictionis merum imperium, mixtum imperium & jurisdictio in ſpecie, veniat. v. Hahn. ad Weſ. *tit. de jurisdict. n. 8. verb. prorogata. circa fin. p. m. 189.* Hinc qui de jurisdictione in genere inveſtitur, fundatam habet intentionem in omnes ſpecies: v Schrad. *conſ. 18. integ.* & concedenti imputandum eſt, quòd legem contractui non apertius dixerit, adeoque contra illum fit interpretatio. *L. 39. de pact. Conſ.* Carpzov. *II. Conſt. 40. def. 6.* Vultej. *de Feud. l. 1. c. 5. n. 5* idque eò magis, ſi ſimiliter inveſtiti jurisdictionem omnimodam exercent: v. *n. 12. Dec. 290.* quod momentum in *Dec. 45.* non poterat attendi, cùm ibi tantùm quæſtio fuerit: an ex poſſeſſione prædii inferatur jurisdictio; ad quam Reſp negativè, cùm multi Nobiles eodem in loco illâ in prædiis ſuis carerent. Nunc autem de ſimilibus idem eſt judicium. Quamvis igitur B. Dn. Mev. *in Dec. 290.* ſit diverſus à *Dec. 45.* non tamen ſibi eſt contrarius.

AD VARIATIONEM III.

POſt tres conformes ſententias, uti in Camera Imperiali, v. Mynſ. *l. O. 15.* & judicio Dresdenſi, Carpz. *3. Reſp. 101.* ita & in Tribunali Wiſmarienſi, appellationes recipi docet Mev.

I. Dec. 43. Non Obſt. VII. D. 308. & VI. D. 114.

Mev. *I. Dec. 63. n. 6.* Opponitur *VII. Dec. 308. n. 2.* ubi quòd non ſecus atque ùt tertiùm provocare non licet, ita nec reviſionem petere, nec reſtitutionem in integrum implorare, nec nullitates deducere, liceat: quæ remedia iliis, qui gravatos ſe putant in Tribunali Wiſmarienſi conceſſa, at non aliter, quàm ubi provocare integrum. Sed disſidium illud in Variatione compoſitum eſt: Scilicet conſiderationem conformitatis, tempore natæ *Dec. 63. an. 1653.* nondum obtinuiſſe: quoniam ex præfatione ad Deciſiones pateat, Tribunali Wiſmarienſi demum *anno 1657. die 28. Jan.* Ordinationem, omni numero perfectam, præſcriptam eſſe; adeoque poſt illam aliud placuiſſe: neque deinde Dn. Mev. ſententiam *Dec. 308.* mutâſſe, teſte *IIX. Dec. 12.* Forte etiam *Dec. 308.* & *Dec. 12.* intelligendæ de tribus conformibus ſententiis, à diverſis Judicibus prolatis, & ubi bis provocatum: & ſic non licere tertiùm provocare, etiam in *Dec. 63. poſt num. 1.* docuerat; Secus ſi idem Judex coram ſe tres quaſi inſtantias faciat, poſt latam à ſe ſententiam, remedium reviſionis, reſtitutionis, leuterationis &c. concedendo, & tunc ter conformiter judicet: Hanc enim conformitatem non attendi vult, ibidem: *vid. poſt. n. 3.* idque ad avertendam fraudem, quæ partibus & ſuperiori judicio fieri poſſet: *n. 4.* & eatenus dicit *poſt n. 1. L. un. C. ne liceat in una eademque cauſa:* ſecundùm verba accipiendam eſſe, de tertiâ provocatione; non de tribus conformibus ſententiis. *conf.* Gail, *l. O. 72. n. 3.* Neque etiam *Dec. 114. P. VI.* obſtat. *Dec. 308. n. 4. P. VII.* Quando enim in *Dec. 114.* dicitur: inter tres conformes ſententias non connumerandam illam, quæ nulla eſt: hoc omnino intelligendum, ſi nullitas manifeſta, uti patet èx inſcriptione, *Dec.* & *n. 2.* ſecùs ſi nullitas altioris indaginis; de qua loquitur *Dec. 308. n. 4.* Conſentit Gail. *l. O. 42. n. 12.*

AD

AD VARIATIONEM. IV.

AN ſententia ſine probatione lata ſit ipſo jure nulla? Neg. Mev. *V. Dec. 402. n. 2.* videtur diſſentire *I. D. 119. n. 7. 8.* At verò, cum in hac *Dec.* ſit caſus ſpecialis, ubi ſcilicet Judex pro fundamento ſententiæ ad protocollum ſe retulerat; v. *poſt. n. 7.* quod poſtea tanquam imperfectum & nullum impugnabatur: hinc pro reducendâ concordiâ, diſtingu erit *inter ſententiam, quæ ſe refert ad aliquid*, v. gr. protocollum, acta, &c. quaſi ex illis eſſet probatum, & *inter ſententiam, quæ ſine relatione ad aliud, tantum ſine probatione fertur:* Quoad illam, de qua in *D. 119.* ſi poſtea apparet, id ad quod relatio facta, nullum eſſe, & vi probandi deſtitui, conſequenter ſententiam ſine probatione latam: tunc fundamento collapſo neceſſario ſententia labitur & nulla eſt. vid. *Affl. Ct. Dec. 47.* qui ſibi quidem contrarius in *D. 28.* at verò illi ſatisfecit Cæſar Urſil *in addit. ibid. ad lat. Felin. in c. inter cœteras. X. de re jud.* Hæc verò, quæ ſine partium probatione fertur, non eſt nulla: atque ita intelligendus *V. D. 405. n. 2.* cùm probatio illa partium non ſit de ſubſtantiâ judicii; (niſi cum Bach. *II. Diſp. 23. th. 3. lit. C.* diſcernere velis *inter judicium in hypotheſi & theſi conſideratum:* ita ut hujus pars ſubſtantialis ſit probatio. Sicque intelligi poſſet Mev. *I. D. 119. n. 8.*) vid. *citat. Autor. ap.* Mev. *in D. 405.* conf. Illuſtris Dn. Præſes *in Anal. ad Deſſel. Erot. Jur. Can. p. 94. tit. 18. ad rubr.* ſed tantum de juſtitiâ ſententiæ ſit, adeoque ſine illa contra jus litigatoris proferatur. v. Vant. *de nullitate ex defect. Proceſſ. n. 38. 39.* Sententia enim ex verâ & juſta cauſa præſumitur lata, donec probetur contrarium: v. *c. 13. & 16. X. de Re jud.* quod ſtatim patet, ſi conſtat, id quod judicem movit, aut ad quod ſe retulit, nullum eſſe. v. *Caſ. Urſil. ad Afflict. d. Dec. 28. n. 6.*

I. Dec. 119.
Non obſt.
V. Dec. 402.

AD VARIATIONEM V.

Variarum Decisionum apparens discordia ad concordiam reducitur.

AN *mulier quà talis, circa restitutionem in integrum, utatur jure minorum?* Negativa verior. vid Sfort. *Odd. de Rest. in integr. P. 1. q. 10. art. 6. n. 35.* Dn. Præses *in Anal. ad ff. tit de Minor. p. 83.* neque enim mulieres minoribus per omnia comparantur. *l. ult. pr. ad Sc. Vellej.* Consentit B Dn. Mev. *I. Dec. 133. & IV. D. 32. n. 8. in f.* Non obstat, quòd *in D. 129. n. 8.* & *D 130 n. 1. 2. P. II.* it. *in D. 84. post n. 4. P. III.* & *D. 218. P. I.* restitutio concedatur mulieri: ibi enim specialis ratio singulare jus facit, *sicubi mulierum & minorum par est conditio: illæ pariter ac hi restitutione gaudent:* nunc autem mulieri in damno vitando, æquè ac minori jus ignorare permissum; *L 8. & 9. pr. de jur. & fact. ignor.* hinc merito mulier per *Dec. 218. P. 1.* contra lapsum fatalium, ex causa ignorantiæ juris; restituta. Non aliter *in Dec. Elect. Sax. Dec. 4.* ibi: Und dann die Weber mit denen Minderjährigen und Communen dißfalß nicht ungleiches Recht haben. Quod ad *D. 129 n. 8. & D. 130. P. II.* it. *D. 84 P. III.* attinet, illæ pariter agunt de speciali causa, qualis est dotis, quæ restitutionem operatur: cùm Reipubl. intersit mulieribus dotes esse salvas. *l. 1. solut. matr. l. 18. de reb. auct. jud. poss.* Licèt igitur mulier hypothecam pro dote remittere marito possit; *l. 11. & 21. C. ad SC. Vellej.* non tamen dotis causam pactis deteriorem facere potest: *l. 17. de pact. dot.* & quoties jacturam dotis inde passura est mulier, restituitur, *non tam quà mulier sive favore sexus*, de quo quæstio in *I. D. 133. quàm dotis & ne Respubl. lædatur.* v. Fab. *in Cod. IV. 21. def. 25. n. 4.* & *def. 13. n. 5.*

AD VARIATIONEM VI.

I. D. 206. N. Obst. IIX. D. 300.

PRo meliori conciliatione hujus Variat. circa quæstionem: *Quomodo ad immissionem requiratur debitum certum?*

certum? præmittendum, hoc dupliciter ſumi poſſe (1.) pro illo debito quod in genere certum; ubi conſtat aliquid deberi, licèt quoad quantitatem adhuc ſit incertum. (2.) pro debito quod non ſolum in genere ſive ſubſtantiâ, ſed etiam in quantitate certum, imò omni ex parte liquidum. v. Fab. *in Cod.* III *23. n. 2. & 5* Illud requiritur ad omnem immisſionem, quia ſine eo fieri non debet. *tot. tit. ff. & C. de reb. auct. jud. poſſ* Quoad hoc verò diſtingu. inter *immisſionem, quæ ſit ſolius cuſtodiæ cauſa* ſeu *ex primo decreto;* & *inter immisſionem quæ non cuſtodiæ*, ſed *ſolutionis exigendæ gratia, adeoque ex ſecundo decreto ſit.* Ad illam de qua in *IIX. Dec. 300.* (ubi expreſsè in princ. & poſt verba: *Nec enim:* diſcernitur executio ab immisſione in bona pro reſiduo decreta) non requiritur debitum certum, ſecundo modô ſive omni ex parte liquidum; v. *n. 2. 3 & 4* Fab. *in Cod* VII. *20. def. 10. n. 6.* bene tamen ad hanc, quæ non cuſtodiæ tantum, ſed exigendæ inde ſolutionis, cauſa ſit (de qua agitur in *I. D. 206.* uti apertè patet *ex princ. ejus.*) cùm ſit executionis *ſpecies* & diſtractioni ſimilis. v. *not. n. 1. &* Fab. *in Cod. VII. tit. 20. def. 51. n. 5. 6.* Sub hoc igitur diſcrimine oppoſitæ deciſiones amicè inter ſe conſpirare liquet.

AD VARIATIONEM VII.

AN *citatio in ſummariisſimo ſit neceſſaria?* Videtur de hoc variè diſſerere B. Dn. Mev. *in D. 237. P. II. & D. 14. P. IX.* ſed apparenti illo disſidiô in ipſa Variat. ſublato; nempe *in ſummariisſimo non opus eſſe citatione ante cauſæ cognitionem, aut ſi periculum in mora;* de quo caſu *in D. 237. n. 4. 5. P.* II. *conf. III. D. 164. pr.* (adeò ut etiam Judex ex officio, nulla parte petente, tunc ad ſummariisſimum properare (ut loquitur Mev. *poſt. n. 5. D. 237.*) pro ſervanda quiete II. D. 237. N. Obſt. IX. D. 14.

 quiete

quiete possit. vid Ludov. Perusin. *I. D. 20. n. 7.* Græv. *I. concl. 6.*) *bene tamen in ipsa causæ cognitione*, & ubi *periculum non est in mora*, atque sic intelligendam *Dec. 14. n. 3. P. IX.* Transimus

AD VARIATIONEM IIX.

II. D. 241. N Obst. VI. D. 48.

UBi adducitur discordia inter *Dec. 241. n. 6. P. II. & D. 48. n. 4. P. VI.* Cùm verò in *D. 241.* non dicatur, per solam acceptionem usurarum à debitoris debitore priorem debitorem liberari; sed tantum quòd concurrentibus aliis ibi adductis (*n. 1. 2. 3.* vid. *post. n. 11. & 12.*) urgentibus conjecturis, probetur delegationem factam esse. Hinc non patet contradictio, quando in *VI D. 48. n. 4* negatur per solam acceptionem pensionis annuæ à secundo conductore, primum liberatum: cùm novatio non præsumatur; *l. f. C. de novat.* ad delegationem autem inducendam requirantur concludentes conjecturæ, quæ hîc deficiebant: è contrà verò in casu *Dec. 241.* aderant, uti ex utriusque inspectione clariùs patescit. Et licèt usuras ab aliquo accipere indicium sit, aliquem haberi debitorem, quia usuræ sunt sortis accessio, nec sinè ea præstantur: Mev. *Dec. 241. n. 6.* Carpzov. *V. Resp. 93. n. 32.* tamen exinde solo non probatur, aliquem præ altero electum esse debitorem, & priorem liberatum; nisi, uti in *l. 1. § 10. & 15 de separat.* dicitur, quis eâ mente usuras acceperit ab alio, quasi eum eligendo, sive tanquam à suo debitore; ùt ait Mev. *l. c. conf.* Brunnem. ad *cit. l.* Pariter quando pensio à secundo conductore accipitur, hoc quidem indicium est, locatorem contractum ratificasse; at verò exinde non sequitur quòd prior conductor sit liberatus, prout eleganter demonstrat Fab. *in Cod. L. 4. tit. 41. def. 28.*

AD

AD VARIATIONEM IX.

CReditoribus pignora ſua poſſidentibus, excitatô concurſu, liberum eſt, an nomen in concurſu profiteri, an verò rei incumbere, & petitionem aliorum contra ſe expectare velint, Mev. *III. D. 252. n. 5.* Cothm. *V. Reſp. 28. n. 32. &c.* An verò ſolennis illa proteſtatio, qua aliquando Creditores utuntur, de ſe non jungendo concurſui, ſed inhærendo ſpecialis hypothecæ juri, ſemper utilis ſit? Videtur Mev. variè de illâ quæſtione ſentire, verùm ponderatis utriusque Deciſionis circumſtantiis, patebit oppoſitas Deciſiones non eſſe contrarias, ſed diverſas. Nam in *II. D. 287. n. 1.* non *denegat illi Proteſtationi omnem utilitatem,* cùm expreſsè dicat, quòd non velit de eo diſputare: negativa itaque, in quam videtur propendere, in caſum propoſitum temperanda erit: ſi ſcilicet ſpecialis hypotheca facilè poſſet fieri inidonea, ut immiſſus integram ſolutionem inde capere non poſſit: tunc enim proteſtatio eatenus contrà proteſtantem operatur, ut variare (quod in caſu *D. 287.* is qui generalem & ſpecialem hypothecam habuerat, *v. pr.* ſed proteſtatus fuerat, intendebat,) poſtea nequeat: *c. quod ſemel placuit. 21. d. R. J. in 6to.* v. *l. 5. de ſeparat.* quod tamen citrà proteſtationem illam liceret. v. *IV. D. 48. n. 4.* Ubi ergo nihil horum timendum, nec aliorum creditorum jura potiora: ibi utilius erit rei incumbere; juxta *D. 250. n. 4. P. VII.* quamvis etiam in hac *Dec.* non præcisè loquatur de proteſtatione, ſed tantùm decidat, quòd immiſſus non opus habeat allegatione debiti defungi, & tamen *n. 4.* addit, quòd abundans cautela non noceat: quæ ſententia in omnem eventum tutior. v. *Ax.* Barboſ. *L. 1. tit. 6. ax. 3.*

II. D. 287.
N. O.
VII. D. 250.

AD

AD VARIATIONEM X.

II. D. 301. N. Obs. IV. D. 51. Postquam in Variat. hac, concordes factæ, *D. 301. n. 2. P. II. & D. 51. P. IV.* nimirum, *illam loqui de judice eodem, qui probare jussit*, hunc si irrelevans quid admisit ad probandum, post sententiam quâ id injunxit, nihil inde mutare posse, *bene tamen superiorem, ad quem causa per appellationem devolvitur: D. 51* putatur remanere dubium, quòd sic nihilominus sententia in rem judicatam prolapsa annulletur. Sed videtur Mev. *in D. 51. n. 2. 3* id resolvere, quando dicit: *Nec obstat, quòd Judex prioris instantiæ ut relevans quicquam admisit, ejusque probationem adversarius fieri passus Hoc enim si perperam & nullo jure factum, non adstringit in secunda judicem, cum appellatio in hâc reducat causam in eum statum, in quo tempore litis contestatæ fuit; &c. per l. 6. §. 1. C. de appell. & ejus beneficium utrique parti commune fiat. Conf.* Brunnem *ad l. f. C. de appell. n. 2.* Quando igitur in primâ instantia emtor ad redhibitoria remedia, suæque de vitio allegationis probationem, admissus fuerat, cum tamen de jure ob plures rationes (*v. præc. D. 49. & 50. P. IV.* quòd scilicet redhibitoriæ actioni præstitutum semestre spatium ex *Ædil. Edict.* jam præterlapsum; vitium allegatum in sensus incurrebat, quod non facit locum redhibitioni *l. 14. §. 10. eod.* etiamsi quis commendaverit rem venditam, *l. 43. §. 1. de contrab. emt.* add. Illustris Dn. Præses *in Anal. ad ff. p. 250.*) admitti non debuerat, sententia illa manifestè iniqua erat, quæ nulli æquiparatur; *c. 9. X. de re jud.* & sic in rem judicatam non transit: adeoque Judex ad quem illi nullo modo adstrictus est. vid. Nizol. *alleg. 15. n. 1. & 32.*

AD VARIATIONEM XI.

III. D. 17. N. Obs. IV. D. 32. Uti quædam singularia in Jure Civili circa hæreditatis aditionem constituta, ut, licèt aliàs tutor sit domini

loco

loco *l. 27. de admin. tut.* & nomine pupilli agat; tamen necessario pupillus infantia major tutore auctore hæreditatem adire debeat. v. Lauterb. *Compend. Jur. ad. d. t. p. m. 467. in O. l. 18. § 2. & 4. C. de jure delib.* imò, quòd ne quidem curator intervenire possit, sed tutorem habenti, si hic auctoritatem præstare nequeat, alius tutor, contra regulam *in §. 5. Inst. de Curat.* interim dandus sit, *L. 17. de de appell. l. 19. de auct. tut.* cùm hic de integranda persona pupilli agatur: uti eleganter docet prælaudatus Dn. Præses, Patronus & Promotor noster ætatem devenerandus. *in Anal. ad Instit. Locam. p. 46. pr. & p. 58. pr.* Sic etiam specialiter cautum, per procuratorem quâ talem non posse adiri hæreditatem, *l. 90. de A. vel. O. H* ne quidem specialiter mandante hærede: hoc modo enim hæres voluntatem suam declarando ipse potius adit, Perez. *in Cod. de Jure delib. n. 22.* vid. *Cujac. I. O. 34.* & procurator hoc casu tantùm spectatur ùt nuntius; ita ut actus in persona ejus non radicetur. Dn. Præses *ad ff. in Anal. p. 320. th. 25.* Quando igitur maritus nomine uxoris, hac verò non consentiente, hæreditati soceri se immiscuerat, non poterat hoc nocere uxori aut ejus liberis. Mev. *III. D. 17.* Cui non obstat, quod *IV. D 32.* habetur. *Alia enim ibi quæstio,* scilicet; An maritus de bonis uxori jam acquisitis, propter mandatum generale, eique annexum jus liberæ administrationis, quando simul per mores ejus curator est, validè transigere possit? Quod meritò affirm. per tradita *ibid.* & Cothm. *II. Resp. 53. n. 129.* v. *l. 3. C. de integr. restit. minor.* Brunnem. *ad L. 2. C. qui dar. tut.*

AD VARIATIONEM XII.

AN *in causis summariis reconventioni locus? Aff. clem. sæpe, 2. §. verùm quia. de V. S.* Mev. *III. D. 22. n. 1.* Videtur id negare *III. D. 170. n. 2. 3.* Verùm cùm reconventio- III. D. 22. n. 1. N. Obst. III. D. 170.

 nis

nis duplex (quamvis Carpzov. *in Proc. tit 6. art. 3. n. 1.* triplicem faciat) ſit effectus (1.) quòd proroget jurisdictionem; modò tamen judicis jurisdictio ratione cauſæ vel rei, quæ reconventione continetur, fundata ſit. Carpz. *I. C. 7. d. 4. n. 2.* Dn. Præſes *in Anal. ad Jus. Can. p. 77.* (2.) quòd ſimultaneo proceſſu cauſa con-& reconventionis ſit peragenda. vid. Brunnem. *ad l. 14. C. de ſent. & interl. n. 4.* Hinc affirmativa in *III. D. 22. n. 1. intelligenda erit*, quòd *illi locus ſit* in *cauſis ſummariis, poſt judicium ſummarium finitum coram eodem judice;* non verò quoad effectum *ſimultanei proceſſus*, (quem aliàs in cauſis ordinariis habet, v. Mynſ. *I. O 10. n. 1.*) eatenus enim negatur in *III. D. 170. poſt. n. 1. verb. ad illum effectum, ut cum actione tutelæ pari paſſu ambularet.* Quòd autem reconventio tutoris in actione tutelæ quoad effectum ſimultanei proceſſus admiſſa, ex ſpeciali ratione à Dn. Mev. adducta pendet: quoniam illa nihil aliud contineret, quàm quod ad tutelam ſpectaret, eſſetque tantùm exceptio de expenſis v. *l. 1. §. 4. de contr. tut.* & actio pupilli ad reliqua tendens non poterat antè dici liquida, niſi deductis & examinatis impenſis, cùm hæ ipſo jure debitum minuant *l 5. de impenſ. in res dot.* uti hæc plenius deducit Mev. *l. c.* Poſſet etiam dici, in Executivis & cauſis ſummariis reconventioni locum eſſe, ſecundùm *D. 22. n. 1. P. III.* quoad effectum ſimultanei proceſſus; modò cauſa reconventionis etiam ſit ſummaria & ejusdem naturæ. v. Berl. *l. concl. 22. n. 31. &c.* quò collimat *Ordin. Tribun. Wiſmar. P. II. tit. 15. §. 2.* Non verò, ſi reconventio cauſam ordinariam contineat: *Dec. 170. n. 3. P. III.* tunc enim priùs conventio finienda, ne actor beneficio ſummarii proceſſus, qui (uti dicitur in *l. f. C. de Naufrag:*) levato velo peragendus, privetur. v. Illuſtr. Dn. Strykius, Patonus noſter colendisſimus,

mus, in *Introd. ad Prax. c. 14. §. 4.* Brunnem. *ad l. 14. C. de sent. & interl.*

AD VARIATIONEM XIII.

N*Otarium in his, quae ad officium ejus pertinent, & hujus causa coram & ab ipso geruntur, duorum testium vicem habere*, ut *ejus testimonio, licèt singulari, fides detur*, statuit Mev. III. *D. 171. n. 3. 4.* Cum his videntur pugnare, quae leguntur IV. *D. 13. n. 4.* ubi quando per duos testes probandum, in testamento subscriptionem testium adfuisse: nuda notarii assertio adhoc non sufficit. Sed praeter ea quae in Variat. habentur, scilicet exceptionem esse in ultimâ voluntate probandâ, quae difficilior & delicatior: cùm materia testamentorum, fraudibus variis subjecta: (de quibus sanè timendum erat in casu *D. 13.* cùm is quem negotium contingebat exhibuerat imperfectum testamentum, v. Cothman. II. *Resp. 68. n. 63.*) item Notarium duorum testium vicem supplere, cùm alia adminicula apparent, *uti in D. 13. post n. 5.* dicitur; Forte pro ulteriori conciliatione addi posset praedictum *requisitum D. 171. n. 3. 4. defecisse in casu D. 13.* Non enim apparet ex *Dec. hâc*, quòd Notarius propterea adhibitus fuerit (*quod tamen vult D. 171.*) ut instrumentum publicum super toto actu testandi tanquam testamento nuncupativo conficeret, neque etiam tale instrumentom ibi productum legitur: sic enim sine dubio plena fides illi habenda fuisset. Carpzov. III. *C. 3. def. 37.* Richt. *D. 32. n. 16.* Sed dicitur, Notarium confectioni testamenti tantùm interfuisse, *v. pr.* ùt scribentem, vel alium testem, & posteà, cùm testamentum imperfectum quoad subscriptionem testium produceretur, hanc intervenisse, nudâ assertione Notarii producentem probare voluisse: meritò igitur decisum, hanc probationem non sufficere, cum soli scripturae Notarii absque testibus non

III. Dec. 171. Non Obst. IV. Dec. 13.

credatur: *Nov. 73. c. 5.* Carpz. I. *C. 20. def. 2.* & aliàs Notario de præterito atteſtanti plena fides non habeatur *Afflict.; Dec. 48. n. 36. conf.* Cothmann. *l. cit.*

AD VARIATIONEM XIV.

III. D. 201. N. Obſt. II. D. 93. AN *delatum juramentum judiciale*, poſt *acceptationem* ab adverſario factam *revocari poſſit à deferente?* admodum variant Dd. Negant Lauterb. *in Colleg. Jur. Tit. de jurejur. th. 69.* Modeſt. Piſtor. I. *q. 23. n. ult.* Struv. *Ex. 17. th. 38.* Affirmativa de jure defendi poteſt. *L. 11. C. de R. Cred.* Fab. *in Cod. L. 4. tit. 1. def. 3. n. 5. 6. 7.* item *def. 22.* Cui etiam Mev. III. *D. 201. n. 2.* adſtipulari videtur. Quando verò in oppoſitâ *Dec. 93. n. 3. P. II.* illam ex certis cauſis tantùm concedit, benignus arbiter pro inducenda concordia, donec melior appareat, admittet: in *D. 201.* ubi dicitur revocationi locum eſſe usque ad finem litis, præſupponi cauſas, de quibus in *D. 93. n. 5. & 6.* ſcilicet ſi aliæ legitimæ probationes ſupervenerint, aut deferens acceptantem pejeraturum docere velit. vid. Carpz. I. *c. 12. def. 4. inf.* Lauterb. *l. c.*

AD VARIATIONEM XV.

III. Dec. 314. Non Obſt. IIX. D. 48. II. D. 52. n. 1. PEr *Nov. 90. c. 4.* & inde ſumtam *auth. At qui ſemel. C. de Probat.* demum prohibitum, ne poſt didicita atteſtata ſive publicationem eorum, de novo ſuper iisdem vel directò contrariis articulis teſtes producantur: Illud verò tantùm pertinere ad primam inſtantiam per *L. 6. § 2. C. de appell. & l. 4. C. de tempor. appell.* volunt Dd. v. Brunn. *ad. d. LL.* Interim *de Jure Canon.* expreſsè id ad ſecundam inſtantiam extenſum, per *clem. 2. de Teſtibus. An verò hæc clement. in Tribunali Wiſmar. recepta?* Mev. IIX. *D. 48.* ibi non ſolùm ſuper iisdem, ſed & directo contrariis articulis, licere novos teſtes producere, in Appellationis inſtantia, teſtatur, *n. 3. & 4.* addendo textum Juris Canon.

Canon. à Jure Civ. & Imperii praxi alienum esse. *n. 10.* Videtur maximoperè obstare III. *D. 314.* ubi *n. 2.* dicitur, quòd sententia Pontificis pro veriori tandem habita, & in judiciis servari cœpta sit. At verò *hæc verba D. 314. non indistinctè erant intelligenda; sed de aliis judiciis extra Cameram Imperialem & Tribunal Wismariense;* præsertim, cùm Mynſ. I. *O. 41.* in utrâque *Dec.* alleget, ex qua tamen apertè constat, quòd licet sententia Pontificis, de jure sit verior & receptior (*scilicet alibi*) tamen illam in Camera non servari, adeoque Mev. in *D. 314.* id tantùm inferre vult: licèt in judiciis aliis servetur dispositio Juris Canon. tamen illam ad casûs quos ibi recenset, ne quidem pertire: ergò de his nullum dubium esse, quin ulterior probatio admittatur. Non officit etiam II. *D. 52. n. 1.* loquitur enim de prima instantia. Cœterùm quinam dicantur articuli iidem, quinam directo contrarii, accuratè exponit Kettler. *D. 18. n. 12. &c.*

AD VARIATIONEM XVI.

Diversa cùm sit ratio legati, & debiti statutarii, superstiti conjugi competentis: illud enim non debetur, nisi deducto omni ære alieno *l. f.* §. *5. C. de Jur. delib.* hoc verò computatur inter æs alienum defuncti, v Cothman. II. *Resp. 51. n. 155.* Carpz. VI. *Resp. 48. n. 6.* & deducitur ante legata, etiamsi hæc ad pias causas relicta sint: Cothman. II. *R. 74. n. 146. 150.* adeò ut etiam Lauterb. *in Colleg Tit. de inoffic. test.* §. *46.* velit, portionem statutariam deberi ante legitimam; quamvis non sine ratione dissentiat Carpz. *l. c. n. 3. &c.* Hinc non apparet dissidium, aut ullibi malè decisum, quando. in *D 381. P. III.* statuitur, vindicationem rei legatæ repelli exceptione crediti; è contrà verò in *D. 445. P. IIX.* portionem statutariam deberi eo modo, quo

III. D. 381. N. Obst. IIX. D. 445.

constitutum. Et quando quibusdam visum fuerat, distingui, scilicet extantem currum & equos extra concursum præcipi à Viduâ, non extantium æstimationem deberi post credita; tamen illam distinctionem, ùt Constitutioni Wollinensi *de an. 1569.* non congruentem, ipse in fine rejicit; non immemor sui; uti patet *ex alleg. D. 244. P. VI.* ubi idem jam docuerat.

AD VARIATIONEM XVII.

IV. D. 5. N. Obst. VI. D. 405. & IX. D. 78.

HIc prænotandum erit, quòd nullo probatô deferre juramentum, dupliciter dicatur (1.) quando quis statim ab initio, antequam aliter probare conatur, juramentum defert. (2.) ubi post aliam probandi viam, frustrà tentatam, ad juramenti delationem quis recurrit. vid. Hahn. ad Wes. *Tit. de jurejur. n. 1.* Pro meliori nunc conciliatione oppositarum Decisionum diversæ paululum quæstiones formandæ erunt, (1.) *An quis post frustrà tentatas alias probationes, variare & juramentum deferre possit?* Affirmativam, quæ de jure verior. *L. 35. pr. l. 38. pr. De jurejur. l. 11. C. eod.* rectè tuetur Mev. IV. *D. 5. n. 5. conf. II. D. 98.* nec ullibi ejus mens contraria apparet. (2) *An statim ab initio, ante aliam probandi viam electam, possit deferri juramentum?* Affirm. per *ll. cit.* Mevius VI. *D. 405. n. 4.* modò tamen aliqua præsumtio militet pro deferente; *n. 9. add cit.* Cothm II. *Resp. 82.* secùs verò si illius, cui defertur, intentio juris præsumtioni, (*uti in casibus Dec. 405. v. inf. & D. 260. n. 6. P. III. ubi illi, quibus delatum juramentum, instrumentis suas intentiones demonstraverant,*) innititur, ut deferentis intentio planè inverisimilis fiat. Neque enim quis in re planè illiquidâ tenetur subire juramentum; Illustris Dn Lyncker. *in Anal. ad ff. p. 352. th. 36.* Cacher. *Dec. 69. n. 3.* multò minùs ubi alter intentionem funda-

fundatam habet & à sua parte aliquid probavit; prout Mev. *in D. 405. P. VI. & 260. P. III.* satis accuratè deducit. Denique non obst. IX. *D. 78. n. 1. &c.* satis enim præsumtionis adest, quando apparet, deferentem ex justa causa aliter probare non posse: nunc autem hæres, (*de quo ibidem*) in justâ ignorantia facti defuncti versatur: *L. 19. de R. J.* nil itaque prohibet, quin juramentum deferre possit. Et hanc Mevii sententiam confirmat *Ordinat. Tribun. Wism. P. II. tit. 34. §. 3.* ad quam provocat in VI *D 405.* Ex quo patescit, quòd sibi in his quæstionibus benè constiterit.

AD VARIATIONEM XIIX.

Licèt primâ fronte, uti loquitur JCtus in *L. 12. de probat.*, non levis appareat discordia inter oppositas *Decis.* videtur tamen commodè enucleari posse. Qu. itaque *An legitima liberis in testamento parentùm, etiam privilegiato, sit relinquenda titulo institutionis?* Aff. *Nov. 15. c. 3.* Mev. IV. *D. 14. n. 3. &c.* ubi quòd in tali testamento, necessitas liberis legitimam titulo institutionis relinquendi remissa non sit. Opponitur IX. *D. 2. n. 2.* ubi quòd necesse non sit, hanc institutionis titulo dare. Verùm Distinguendum *inter titulum institutionis expressum & tacitum*: de illo intelligenda *D. 2.* de hoc *D. 14.* Hinc disertè dicitur *in D. 14. post n. 7.* titulum institutionis semper requirimus, *non verò ut insertione expressa opus sit*, sed ut ex dispositione intelligi possit: quod fit (*uti in notis additur*) si testator quid det sub nomine legitimæ: Bocer. *D. 267.* aut si pater inter liberos bona dividat. Gail II. *O. 116. n. 7. 8.* Cùm igitur hoc fecisset Pater, in casu *D. 2. P. IX.* uti videre est *ex num. 7.* quòd cuilibet liberorum certas quotas hæreditarias assignasset; meritò ibi testamentum vali-

IV. D. 14. N. Obst. IX. D. 2.

validum declaratum; quoniam inſtitutio qualibuscunque verbis facta ſuſtinetur, & communia verba, v. g. relinquo legitimam, habeat legitimam &c. ſufficiunt. vid. Illuſtr. Dn. Lyncker. *in Anal. ad ff. p. 101. in f.* Richt. *Dec. 40. n. 7.* it. II. *Conſ. 394. n. 6.* At verò *in caſu D. 14. & titulus expreſſus & tacitus deficiebat:* cùm nulla portio ſub nomine legitimæ, ſed uti ex *Dec. ſeq. 15.* patet, certa pecunia, dotis & ornamentorum nomine, relicta eſſet: nuuc autem non ſufficit partem quantam, præſertim alio quam legitimæ intuitu, liberis dare. Carpz. III. *C. 9. def. 8.* Diſſentit Strauch. *Diſſert. Juſtin. 9. th. 38.* Sed vid. Ill. Dn. Lyncker *in Anal. ad Inſt. p. 137. pr.* Neque etiam dos in teſtamentis inſtar legitimæ habetur. Mev. *citat. D. 14 n. 6* ſecus verò in Saxonia obtinet, ubi etiam ſub nomine dotis relinqui poteſt. legitima Richt. *l. c.* Carpz III *C. 9. def. 9.*

AD VARIATIONEM XIX.

IV. Dec. 59. Non obſt. V. Dec. 183.

Circa interventionem mulieris pro dote, quando illa impediat immisſionem creditorum in bona mariti? diversè quidem ſtatuit B. Dn. Mev. aſt non ſine ratione: cùm etiam variâ circumſpectione & diſcusſione ibi opus ſit, propter diverſas variantes circumſtantias; ùt ex ſequentibus conſtabit. Regulariter verò conſtante matrimonio illa locum non habet; *L. 22. ſoluto matr.* niſi ubi periculum dotis: adeſt ſicque intelligenda. *D. 59. n. 2. & c. P. IV.* Cui non Obſt. *V. D. 183. ibi enim mulieri ſatis proſpectum erat;* uti dicitur *num. 2.* Interim propter utilitatem materiæ ductu Mevii quædam ſubjungemus. Ulterius enim, quoad effectum interventionis, diſtingu. *inter mulierem, quæ ſpecialem ex pacto hypothecam, & eam quæ ſaltem ex lege generalem habet:* illius interventio ſtatim excludit immisſionem; IV. *D. 59. poſt n. 19.* modò pignus utrique non ſufficiat. IV. *D 380. n. 4.* Si verò ſufficit eatenus tantùm, ut pignus non adjudice-

dicetur creditori, nisi & mulieri satisfactum aut prospectum sit. v. *IV. D.107.* Quoad hujus interventionem verò, iterum Distingv: *aut dos est liquida*, & sicuti dicitur in *D.59 P* IV. non repellitur uxor interveniens, eatenus ut cognoscatur an immissio doti officiat; quò tendit hæc *Dec.* Si igitur constat, mulieri per illam *non præjudicari* (alias enim secura reddenda de dote. *v. V. D. 89.*) interventio illam non impedit; & *eatenus propter interventionem rejectam non admissa restitutio in integrum*, in *D. 183. P.V. Si vero non liquida:* multò minus interventio potest impedire immissionem; sed sufficit, si in omnem eventum, postquam dotem liquidam fecit, hujus repetio mulieri salva sit *d. Dec.183. n. 7. add. V. D. 58.* Cæterùm pro uberiore hujus quæstionis explicatione *confer V. D. 57.* ubi ferè omnia momenta, quæ in interventione mulierum pro dote attendenda, accuratè deducuntur.

AD VARIATIONEM XX.

REgulariter Executio sententiæ contra tertium qui, in lite non fuit, fieri nequit. *L. 63. pr. de Re. Jud.* vid. tamen Mev. *VIII. D. 380. ubi distingvit.* An vero *contra tertium possessorem executio sive immissio ex Constitutione Ducatus Bremensis*, von Wucherlichen *Contracten, locum habeat sinè novô processu?* Neg. Mev. *IV D 84.* dicens. hanc Constitutionem tantùm (scilicet regulariter) contra debitorem obtinere, (quam sententium *ibi n. 2.* communem dicit:) contrâ tertium verò ordinariâ actione agendum esse. Cui *non* refragatur *VII. D 124.* cùm ibi etiam expressè dicatur: etsi hypotheca constituta sit tamen tertium observato juris ordine conveniendum esse: *additur autem exceptio à Regula:* nisi pactum paratæ executionis hypothecæ constitutæ sit adjectum *v n. 3 4.* Et quando Coler. *in P. E. p. 2. c. 3. n. 437, &c.* etiam hoc casu negativam verriorem

IV. D. 84. N. O. VII. D. 124.

rem & communiorem credit; tamen contrariam rectiorem & à pluribus approbatam, cum Negùſant. de Pignor. *P. IV. pr n. 20. p. m. 282.* ſtatuit, *cit. n. 4.* Conſentit Illuſtr. Dn. Lyncker *in Anal. ad ff. p. 243. §. 36.*

AD VARIATIONEM XXI.

IV. D. 106. N. Obſt. VIII. D. 96. AN bona ſemel allibrata, ſive in cataſtro oneribus publicis alligata, ad alium tranſeuntia novi poſſeſſoris immunitate fruantur. Negat Mev. *IV. D. 106 n. 4.* Videtur autem id Affirmare *VIII. D. 96. n 10.* At verò *nullibi indiſtinctè intelligendus*, ſed verba in facti ſpeciem temperanda. Nam in *D. 106.* quæritur: *An bona paganica*, Schatzpflichtige Güther / *ad Nobiles tranſeuntia, a tributis eximantur?* Neg. rectè Mev. ibidem. Cùm hæc ſint onus reale: *l. 3. §. 11. l. 6. §. 4. de mun: & honor:* hoc vero rei inhæret & ad quemvis poſſeſſorem tranſit. *l. f. C. de præd. & omn. reb. navicul. t. t. C. ſine cenſu.* Nulla habitâ ratione novi poſſeſſoris, adeo ut nec Eccleſia *auth: item prædium. C. de S S. E.* nec Princeps, alio jure utatur. *v. l. ſi divina domus. f. C. de exact. tribut.* Quò pertinet *VIII. D. 460.* Nec obſtat, quod hodie *Nobiles ſint immunes â tributis*: id enim *non indiſtinctè intelligendum*; ſed ratione bonorum feudalium (*quibus bona Nobilium in Ducatu Bremenſi, quæ ex ceptis paucis non ſunt verè feudalia.* ſed *allodialia & libera, æquiparantur.* v. Mev. *IV. D. 33. poſt. n. 9.*) quorum intuitu ſervitia equeſtria præſtant: ergo duplici onere non ſunt gravandi; niſi in caſu ſummæ neceſſitatis. *R. Imp. 1554.* §. Nemlich ſollen. *Carpzov. 4. Reſp. 70. & 71.* Extra bona illa ſi paganica ſive cataſtrata acquirunt, non ſunt exemti â tributis: *l. 11 de Vacat. muner. l. 2. 3. 5. C. de muner patrim*: niſi ſpeciale privilegium aut conſuetudo aliud induxerit. Et quamvis videantur diſſentire Fab. in *Cod. L. 9. tit. 29. def. 3 & 14.* Tiraqv. *de nobilit. C. 20. n. 168.* tamen intelligendi ſunt de conſue-

tudi-

tudinibus suarum terrarum, quæ non sunt universales; præsertim in Germaniâ v. Maulius de Homag. *Tit: 9. n. 67.* Obtendit quidem appellans, in casu *Dec. 106.* ejusmodi privilegium Equestre: verùm cùm hoc jam dudum in controversiam vocatum, etiam quoad bona paganica olim acquisita: *v. n. 1.* non potuit hujus ratio haberi in bonis noviter acquisitis. Uti igitur alibi, ita in Ducatu Bremensi, hodie non procedit argumentum: est nobilis; ergo bona ejus non subsunt tributis. Frey Mann/ Frey-Gut. Sed alio opus est; nimirum: Bona servitiis equestribus sunt addicta, es wird davon Roßdienst geleistet: ergo à collectis sunt libera. vid. Mev. *IV. D. 33. n. 2. 3. 4.* Patet itaque *D. 106.* satis justam esse. add. Köpp. *D. 61. n. 4.* plenius Jason. *3. Cons. 83.* Neque contrariatur *D. 96. P.* VIII. *Speciale enim privilegium, fecit ut ibi debuerit attendi conditio novi possessoris.* Nam licèt Professores ab oneribus patrimonialibus non eximantur: *l. Professio 6. C. de muner: patrim:* ab onere tamen hospitationis, (ratione unius domûs tantum, *arg. l. 3. § 2. C. de advoc. 2. v:* Brunn. *ibid.*) specialiter immunes sunt; *d. l. 6. C. d. Prof. & Med. l. 8 C. de metat.* idque ne in studiis turbentur, & quia hoc onus reale personalem vexationem habet. *Fab. in Cod. L. 9. tit. 29. def. 26. post. n. 4.*

AD VARIATIONEM. XXII.

III. D. 29. N. Obst. VI. D. 109 & VII. D. 286.

Q*Uatenus Advocati vel Procuratoris negligentia aut culpa parti noceat?* Dist. Mev. *III. D. 29. v. n. 2. 7.* inter Procuratorem & Advocatum: illius negligentiam nocere Domino, ita ut hic non restituatur in integrum; nisi Procurator non sit solvendo: (quæ tamen Limitatio potius communi Dd: opinioni v. Gail. *I. O. 45. n. 6.* quàm Juri debetur. *L. 10. C. de Procurat.* v. Frantz k. *ad tit. de Procurat: n. 29.*) v. n. 6 Huic *non Obstat VII. D. 286.* ibi enim *eandem sententiam repetit, n. 7.* & concedit restitutionem secun-

dùm Dd: (cum quibus loquitur in D. 29.) Sed *addit tantum n. 8. quod in Tribunali Wismariensi à Jure Civ. in hoc recessum* cùm partes indistinctè restituantur. Id quod meritò ita introductum, quoniam ibi Procuratores Superiorum judicio idonei constituuntur; nec quicquam principali imputari potest. Ill: Dn Lyncker in *Analect. ad ff. p. 72. pr.* Propter culpam sive negligentiam Advocati verò, cùm hic non fiat Dominus litis, ùt Procurator, *L. 22. C. de Procurat.* & propriè dici negligens nequeat, nisi requisitus, indistinctè (secundum Mauritium *de Restit: in integr. c. 397. & c. 407.*) restitutionem concedit. *III. D. 29. n. 7.* Opponitur *VI. D. 209.* At verò *cum ibi non agatur de præjudicio in causa*, sed parti tantum pœna pecuniaria, propter delictum circa processum, à Judice irrogata fuerat: ratio decidendi in eo versatur, quòd parti per retentionem (forte salarii) aut, actionem in factum ex L. Aquilia, faiclè illam recipere liceret. *v. cit. Binsfeld de injur. & damn. dat. c. 9. q. 12. conclus. 2. &c.* Secus si culpa Advocati *præjudicium in causa* attulisset; uti in *III. D. 29. ubi de appellatione per Advocati negligentiam desertâ agitur.*

AD VARIATIONEM XXIII.

III. D. 106. N. Obst. V. D. 141. VIII. D. 40. ESt sanè valdè intricata quæstio: *quando Judex appellationis de alio puncto, quàm super quò appellatum, judicare possit?* quæ, propter varias circumstantias, â prudenti Judice hîc attendendas, unô ambitu non facilè definiri potest. Hinc non culpandus Mevius, quando variè decidit, *neque oppositæ Decisiones sibi contrariantur; sed, uti in Variatione dicitur, ob facti species diversas, diversæ sunt;* & tamen quævis firmo nititur fulcro: uti ex inspectione patescit. Interim ductu illarum quædam annectemus. Regulariter quidem Judex appellationis non potest de aliô punctô cognoscere, quam super quô appellatum. Fab.

in *Cod. L. 7. tit. 26. def. 45.* Brunn. *ad l. 4. C. de Tempor. appell. n. 3. Mev. III. D. 106.* Cùm verò per appellationem res iterum deducatur ad statum, in quo fuit tempore Litis Cont. *Gail. I. O. 144. n. 1.* & appellatio *devolvat totam causam, quoad connexa & accessoria: Mev. d. l.* hinc illa regula varias sortitur explicationes Sic enim (1) propter connexitatem causæ *v. Mindan. 3. de continent. causar. c. 21. n. 1.* ubi super incidenti puncto app llatum, si judici æquùm visum, & ad justam causæ decisionem & litis abbreviationem spectet, etiam invitô appellatô, omissô articulô incidente, principalem causam definire potest; præsertim si incidentis articuli decisio *prajudicium faceret* principali; *Mev. 5. D. 141.* secus si causa, in quâ appellatum, *capiat prajudicium à principali:* tunc enim appellationis receptæ cognitio sive discussio suspenditur, donec principalis causa decisa: *Mev. I. D. 70.* ubi etiam *num. 4.* sub distinctione resolvit, quando judex appellationis ob præjudicium totam causam ad se trahere possit. (2) Ubi appellatum in causa principali etiam de incidentibus connexis judicari potest; uti eleganter docetur *V. D. 354. conf. VII. D. 109. n. 2.* ubi etiam, *quando non obstet allegatio: de hoc in priori instantia nihil actum. Add. VI. D. 290.* ubi de interveniente. (3) In secunda instantia de alio ferri potest sententia, quam de quo actum in prima, si causæ status mutatus & appellatus renunciat exceptioni, ob quam appellatum, ùt in casu *D. 137. P. VI.* Si verò illa, quæ videntur connexa, *quà litem planè sunt separata, neque incidunt, & illorum diversa ratio:* tunc non sunt propriè connexa, neque tunc devolvuntur ad appellationis instantiam; de quô agitur *in VIII. D. 4 v n. 6 8 9.* Quænam verò ratione appellationis connexa censeantur? *v. ap.* Scacc. *de appell. quæst. 47. memb. 2. num. 10.* &c. in genere illa prudentis

Judicis arbitrio relinquit Menoch. *2. A. J. Q. caf.95. n. 4.* Berl. *1. concl. 22. n. 8.* Idem fere de tota hac materià dicendum erit: cùm in universum certis legibus non reperiatur decisa, vid. Carpzov. *in Proc. Tit. 6. art. 3. n. 37.*

AD VARIATIONEM XXIV.

III. Dec. 123. Non Obst. IV. D. 387. QVoniam hæc Variatio, uti ex collatione Decisionum liquet, se ipsam resolvit: cùm *D. 123. P. III.* apertè de statuto, quoad existentiam & æquitatem certo, per quod uxor ex communione bonorum, æri alieno mariti subjicitur, agat; adeoque appellatio ab illa merito rejicitur, per ea, quæ habet Mev. *ibid. v. n 1.* Econtra verò *D. 387. P. IV.* loquatur de appellatione recepta à statutô, quod iniquum *v. D. 386* imò planè nullum dicebatur: hinc progredimur

AD VARIATIONEM XXV.

III. Dec. 166. Non Obst. IV. D. 169. n. 1. UBi occurrit quæstio, utrum socii ex contractibus socialibus conveniantur in solidum? Quæ in genere vix affirmari aut negari poterit, propter varias distinctiones præmittendas; ut videre est ap Lauterb in Comp. Juris *Tit. de sociis cum extraneo contrahent.* item *Disput. de sociorum obligat. quæ oritur ex convent. cum extraneis inita. th. 11. &c.* Conf Illustris Dn. Lyncker. *in Annal ad ff. p. 205. thes. 44.* Interim aliis negantibus, & socios tantùm teneri pro eâ parte, quam in societatem intulerunt, statuentibus Gail *2. O. 24. n. 9.* Christin. *3. D 52. n. 4.* Suarez. *de division. bonorum. L. 2. c. 4. num. 19.* Affirmativam & socios semper in solidum obligatos esse, nec gaudere beneficio divisionis, tuetur Carpzov. *2. c. 17. def 12. add.* Joh. Marqv. *de Jure mercat. L. 2. c. 11. num. 11. &c.* quam sententiam, ùt commerciis utiliorem, in praxi receptam, testatur Mev. IV. *D. 169. n. 1.* Opponitur III. *D. 166.* ubi quod si ex statuto conjuges sunt bonorum socii, vidua tantum teneatur pro parte, quam in communione habuit, non in solidum.

Sed

Sed *causam diversitatis* ipse Mev. *ibid. & III. D. 125.* satis inculcat: quòd scilicet hoc *dependeat ex speciali ratione statuti Lubecensis*, de quo ibid: quod vult, *mulierem non ulterius obligari, quàm de bonis quæ, in communionem intulit.* Si igitur uxor bona communia non amplius possidet, sed *divisio facta cum heredibus*, ùt in *D. 169* aut etiam si adhuc indivisim possidet bona, in societatem collata, *hæc vero non solvendo sint*, non tenetur de aliis bonis, quæ sibi extra communionem reservavit, *d. D. 125.* propter deficientem causam obligationis & rationem statuti: & eatenus dicitur *III. D. 166. n. 5.* socium ex societate non teneri ultra partem suam; prout hæc latiùs exponit in Comment. ad J. Lub. *L. 1. tit. 5. art. 7. n. 48. conf. Cothm. 2. Resp. 51. n. 132. &c.*

AD VARIATIONEM XXVI.

A Contractu nominato ob non servata conventionis placita recedere non licet; sed ad implementum agendum. *l. 8. C. de contr. emt. l. 14. de Resc: vend: l 5. C. de Obl. & A.* Mev. *V. D. 20. n. 1.* Cùm vero hoc non indistinctè sed regulariter intelligendum sit; ideoque ex sequentibus patescet, in *oppositis Decis. exceptiones haberi.* Fallit enim (1) Reg: si ita conventum vel expresse vel tacitè: quo casu tamen, causa quæ discessum à conventis justum facit, requiritur. *d. D. n 4.* Sic quando substantiale pactum contractûs, quod huic causam dedit, non servatur, tacite id actum videtur, ut à contractu iterum recedatur & hic rescindatur. *l. 6. C. de Pact. inter Emt. & Vend. vid: Gothofr: ibid.* Mev. *VIII. D. 173. n. 11 in f.* Quando enim consensus super illo pacto, tanquam conditione, unicè fundatus; uti in *d. l. 6.* tunc pactum substantiam consensui induxit qui non sevato pacto atque subtracta conditione, etiam corruit vid. in simili Illustris Dn. Præses in *Inl. ad Deff. J. Can: p. 107. in f. & ad ff. p. 224.* (2) Fallit ubi in jure permissum, recedere, uti Conductori

V. D. 20. N. Obs. IIX. D. 173. n. 11. II. D. 34.

ductori in *l. 25. §. 2. ff. Locati.* & locatori, in *l. 3. C. eod*: *ubi* locatori concessum, ante finitum contractum ab hoc recedere, si pensio non solvatur, si conductor re malè utatur. &c. vid. Schutz in Comp. Jur. *p. m. 375. 377.* Struv. *Ex. 24. §. 12*; Ad quas causas respicit Mev. *II. D. 34. n. 1. 2. 3.* quando dicit quòd ex causa non observati contractus resoluta habeatur locatio; sicque non contrariatur *D. 20. P. V.* Neque etiam huic obstat *VIII. D. 173.* quòd ibi venditor actione emti ad remtradendam conventus, absolutus fuerit: *ibi enim justissimæ adfuerunt causæ*, uti ex inspectione clarius apparet: Aut enim dicendum, quoniam in casu hujus *Dec.* Venditor tempore condicto ad tradendum paratus, emtor in mora recipiendi fuerat, dilationem termini solutionis petierat & impetraverat, at verò post ejus lapsum nihilo magis solverat: postea agentem Emtorem, qui mala fide substantiale contractus non impleverat, non tam pœnitentiam venditoris, quam exceptionem doli, (quæ b. fidei negotiis inest, *l. 3. de Resc. vend, & l. 2. 1 solut. mat.*) exclusisse. v. latiùs hæc explicata, *d. D. 173.* Aut etiam, cùm in casu *D. 173.* res ab utraque parte adhuc integra esset, mutuò consensu per *l. 1. 2. C. quand. lic. ab. emt*: scilicet tacito, (cum expressus non semper requiratur,) ab emtione recessum fuisse; prout eleganter concludit in seq *D. 174.* conf. Everh; *in loco top: ab expresso ad tacitum.* Ex quibus patet *ex l. 14. C. de Resc: Vend:* non rectè colligi, semper necessario (nec n: Mev. *d. D. 20. & 115. n. 4. 5. P.* VII. id collegisse videtur, sed *regulariter* ibi intelligendus erit) ad pretium agendum esse: cum prædicto casu, & concurrentibus talibus circumstantiis, id non necessum sit.

AD VARIATIONEM XXVII.

V. D. 346. Non Obstat VI. D. 57.

QUando debitor ex conventione ad fidejussoriam cautionem obligatur, at verò illam nullo modo præstare

potest

poteſt,ſed aliam æque idoneam offert: an *creditor cogi poſſit hanc recipere?* Videtur Mev. Affirm. *V. D. 346.* econtra verò negare: *VI. D. 57. in fin.* ubi quòd ſi creditor perſuaderi non poſſit non cogatur. Verùm *non affirmat* Mev. *indiſtinctè D 346.* ſed tantùm *eatenus*, ſi mera creditoris malitia apparet, qui nullum intereſſe à contractu recedendi docere poteſt; ſed præcisè fidejuſſores expetit. *v. n. 5. 6.* Tunc enim jus, quod ſecundùm rigorem juris ipſi quæſitum dici poſſet, præſuppoſitis illis circumſtantiis iniquum, attendi non debet; ſed potiùs propter ſummam æquitatem judex officium ſuum omninò interponere poteſt: cùm meræ malitiæ non ſit indulgendum: *l. 38. de rei vind.* & unusquisque ad id quod ſibi non nocet alteri, autem prodeſt, obligatus ſit, & cogi queat. *l. 2. §. 5. de aqua & aqu. pluv. arc.* Non igitur repugnat *D. 57.* Ibi enim *poſteà Creditor ſine dubio docuit, ejus intereſſe, ut accipiat fidejuſſoriam cautionem*: aliàs magis ſibi proficuum à contractu recedere: *v n. 5. D 346.* tunc enim cogi non potuit, cùm nemini faciat injuriam, qui jure ſuo citra malitiam utitur *v. l. 55. de R. J.*

AD VARIATIONEM XXVIII.

AN *adhuc hodiè tutela pubertate finiatur?* Videntur id negare Gudelin. *de Jur. nov: L. 1. c. 18. inf.* Vinn: *ad pr. Inſt. quib. mod. tut: fin. n. 5* Rittershus. *ibid.* Sed de particularibus conſuetudinibus intelligendi ſunt Ita de Galliâ teſtatur Faber in *Cod. V. 29 def. 2.* in Belgio etiam tutor curator manere cogitur. Groenevveg: *de LL. abrogat: add. t. Inſt. pr.* Illuſtr. Dn Præſes *in Anal. ad Inſtitut. p. 66. in fin.* Idem in ſtatutis Lubecenſ *L. 1. tit. 7. art. 1* & Hamburgenſibus *L. 3. tit. 6. art. 21.* proviſum: in Saxoniâ idem obtinere, aſſerit Richter. I *D. 13. n. 26.* Sed quando Carpzov. *2. conſt: 11. def. 10.* diſſentit: ejus ſententia receptior videri poterat. vid Illuſtr. Dn: Lyncker *in Anal.*

VI. D 69 n. 1. N. O. V. I. D. 29. n 3. 4.

ad Instit. p. 59. Interim Juri Civili meritò insistimus: Donec contrarium doceatur. Consentit Mev: *VI. D. 69. n. 1:* Nec liquet dissensus ex *VI. D. 29.* cùm ibi *non dicatur, quòd tutela pubertate non finiatur, quoad tutorem,* (*de quo quæstio in D. 69.*) sed quòd illi, qui imperfectæ ætatis usque ad annum 25. quasi in tutela maneant, & *eatenus* dicit *n. 4.* quod hujus & curæ limites sint immutati, & discrimen penè sublatum. Quamvis verò hanc realem differentiam inter Tutelam & Curam, per R. J. *de an. 1577. tit. 32. vers.* und gebieten/ sublatam velint. Carpzov. *5. Resp. 86. n. 36.* Schultz. in *Compend. Jur. p. mihi 481.* Struv. *Jurispr. For. 1. 20. 4.* tamen inde non concluditur ad totalem omnium realium differentiarum sublationem. Sic enim hodie Tutela & Cura adhuc differunt forma & effectu. Illustr. Dn. Lyncker. *in Anal. ad Inst. l. c.* & hodiè tutor datur principaliter personæ, curator verò rei, vid. Præjudicium Jenense apud Schilt *Ex. 37 ff. 81:* ut ideò curatorem habens, absque hujus præsentis consensu validè suam personam obligare possit *l. 101. de V O.* Cùm autem hodiè Tutela & Cura plerumque voluntariè, quamvis non necessariò in uno subjecto, continuetur, adeoque novo decreto pro continuanda cura opus non sit v. Gail. *2. O. 96. n. 6.* Hinc tutorem curam suscipere nolentem mox finità pubertate ad rationes reddendas se offerre, administrationem deponere & adulto curatorem petere, debere, pro Cautela tradit Brunnem. *ad l. f. C. qui pet. tut.* quô neglectô si per tempus aliquod tutor curam continuet, deinceps illum se excusare non posse, ibid. docet.

VI. D. 128. N. Obst.

AD VARIATIONEM XXIX.

VII. D. 344. *AN illis casibus, quibus ecclesiastica vel alia persona fori privilegiati ad onerum præstationem tenentur & morosæ sunt, à Judice seculari, an verò à suo proprio compelli debeant?* Distingv: Mev. *VII. D. 344. n. 5.* inter *onera mixta*

mixta, quæ perſonis pro rebus incumbunt, & inter *onera merè realia*: Ad illa, veluti collectas, quando Clerici & aliæ perſonæ privilegiatæ tenentur, per judicem proprium adigendas eſſe; ubi verò res onera ſuſtinet, ſinè omni intuitu perſonarum, à judice ſeculari, æquè ac laicos, compelli poſſe. Quoad ultimum putatur B. Dn. Mev. ſibi diſcors eſſe *VI. D. 128. n. 1. 2.* quaſi ibi velit, quod Clerici & Profeſſores, quando debent præſtare collectas, pro reparatione fontium & foſſarum, à magiſtratu ſeculari ſive Civitatis non poſſint adigi. Sed videtur potiùs in *d. D.* ex mente Canoniſtarum diſputare. Hinc *poſt n. 2* dicit: *juſtum videri poterat, ut: Clericos à magiſtratu eccleſiaſtico compelli debere, exiſtimatur, per c 7. X. de immunit. ibid. Canoniſt.* Vult itaq; Mev. tantùm demonſtrare, quid forte pro Clericis & Profeſſoribus poſſet allegari; non autem exinde pro illis decidit. Sed quoniam Magiſtratus inveteratam conſuetudinem pignorandi in ædibus Clericorum & Profeſſorum, obtendebat; cum pleniori cauſæ cognitione de illo ſtatuendum eſſe, expreſsè in fin. addit. Neque etiam *Dec. 344. n. 5.* Obſt. *VIII. D. 2.* Ibi enim de *onere perſonali*, v. *D. I. poſt n. 5.* agitur; aut etiam *D. 2.* intelligi poteſt *de mixtis, ad quæ immunes extraordinariè tenentur*: at verò in his exemtos per ſuum Magiſtratum compelli, non negat. *in Dec. 344. n. 5.* Quid, ſi diceretur reparationem fontium & foſſarum, in eò loco, ad quem data eſt Deciſio *128. P. VI.* fuiſſe onus mixtum: cùm hodie una onerum ſpecies, pro modo impoſitionis & voluntate imperantium, ad diverſa iſtorum genera referri poſſit; uti de reparatione putei tradit Mev. IV. *D. 127. n. 3. 7.* add. Heig. *I. quæſt. 17. n. 27.* Cœterùm *Dec. 344. & VI D. 260.* non culpandæ erunt, per ea, quæ habent citati Auct ibid: In merè enim realibus & ordinariis oneribus Clericos, præſertim *moribus noſtris*, non gaudere

 fori

fori privilegiô, constat: v. Klock. *de Contribut. c. 18. n. 161.* adeò ut Flores Diez de Mena *Forens. quæst. 21. n. 225* scribat: exactores pignora è domibus Clericorum sumere posse. Hoc verò eò magis procedit, quando tenentur ad onera, quæ moram non patiuntur, (quò pertinet *reparatio viarum*, de quâ in *D. 344. P. VII* & aggerum in *Dec. 260. P. VI.*) *v. l. 1. de damn infect.* indeque nullum in præstandis ejusmodi oneribus discrimen Jurisdictionis admittitur. Dn. Jodoc. Hackman. *de Jure aggerum c. 10. n. 332. c. 12. n. 197. c. 17. n. 12.*

AD VARIATIONEM XXX.

VI. Dec. 383. N. Obst. VIII. D. 406. QVòd in Tribunali Wismar. *secundæ dilationis redintegratio*, sinè solennitate legali sive juramenti præstatione, concedatur, ob *impedimentum notorium*, quô durante quis probatione defungi nequit, *modò tamen petatur, expressè allegatâ causa*, tradit Mev. *VI. D. 383.* Inter hanc & *VIII. D. 406.* adducitur dissonantia; sed statim in fine Variat. resolvitur: scilicet per *Dec. 383.* meritò denegatam fuisse redintegrationem, cùm *impedimentum non notorium, nec à parte petitionis causa allegata*; sed tantùm generaliter petitum fuerit, dari dilationem, v. *post. n 4.* E contra verò in *D. 406.* impedimentum fuisse *notorium & conformiter* procuratorem *petiisse*, *v. pr.* ergò impetrasse.

AD VARIATIONEM XXXI.

VI. Dec. 386. N. Obst. VII. D. 136. USuras ultrà alterum tantum non deberi constat, ex *l. 27. §. 1. C. de Usuris.* Hanc *L. 27.* moribus nostris non attendi, cùm hodiè usuræ ùt interesse petantur, cum aliis (quos v. ap. Tabor. *P. II. de Alt. tant.*) vult Cothm *2. Resp. 52. num. 260.* Pro Jure Civ. tamen, cum Tabore & cœteris accuratioribus, pugnat Illustr. Dn. Lyncker. *in Anal. ad ff. p. 257.* *An verò Piis locis usuræ ultra alterum tantum debeantur?* Aff. Carpzov. 4. *Resp. 49.* argumento à Civitatibus,

tibus, quibus per *Nov. 150. c. 1.* debentur; tum quòd pia loca usuras non ùt tales, sed ùt interesse accipiant. Cùm verò hæc sententia expresso juris textu destituatur: negativè decidit Mev *VI. D. 386 v. n 6. 7.* Obstat *VI. D. 136.* ubi ultra alterum tantū piis locis adjudicatæ sunt. Sed *non tam ex prædictis causis & argumentis*, quæ ab initio secundum *cit. Dd.* tantum refert, verùm *summa æquitate & quasi necessitate* (quæ uti alibi jus fecit: *l. pen. de Legib.* ita & in casu *D. 136.) postulante*, ne pietas destitueretur, sicque ob interesse maximi damni emergentis; *v. n. 6.* cujus longè alia ratio, ac usurarum & interesse lucri cessantis. Hahn. ad Wes. *post Tit. de Naut. fœn. addit. 1. p. m. 71.* Erant enim in casu *Dec. 136.* usuræ piis locis relictæ ad sustentationem: *ne* igitur *pietas periret*, omninò *exceptio à regula D 386. P. VI.* statuenda erat. Latet igitur ratio decidendi, & conciliationis, in verbis fin. *D. 136. ibi. Potissimum quod movet, putavimus fore, quòd usura ista sustentationi piorum locorum dicata sunt, veluti alimenta, ut aut oporteat illas adjudicare, aut verò pietatem destituere & illa pessundare.* Est itaque singularis casus. Huc pertinet pium monitum Heigii quod refert Richt. *Dec. 74 n. 34.* de toto usurarum genere, ex variis circumstantiis personarum, temporum, qualitate, adhibitis æquitatis, utilitatis, & collatis dilectionis Christianæ gradibus, statuendum, & in hâc causâ æquitatem à jure minimè sejungendam esse.

AD VARIATIONEM XXXII.

QVod *generaliter* ponitur in *VII. D. 56. pr.* de appellatione in Criminalibus, per Germaniæ consuetudinem, in Camerâ approbatam, Ord Cam. *P. II. tit 28. §. item* Nachdem auch, non admittendâ: facilè *erit temperandum*, ex *D. 221. n. 2. P. VI. scilicet Scholarium causis exceptis.* Licèt enim illa, quæ generaliter ponuntur, etiā ita intelligenda:

VII. Dec 56. N. Obst. VI. D. 221.

 hoc

ſhoc tamen non procedere quoad ſi ſpeciē non comprehenſam per ſe patet: nunc autē notum, ejusmodi privilegia, corpori juris incluſa, non contineri ſub generalibus prohibitionibus; niſi etiam illis expreſsè derogatum eſſe appareat: v. Cothm. Reſp. *Acad. 31. n. 28.* aliàs enim mores ſive leges generales poſteriores ſecundùm priores ſpeciales explicandæ. v. Anton. Gabr. *de Legib. concl. I. n. 2.* Brunn. *ad Autb. Offeratur. C. de Lit. cont. n. 15.*

VII. D. 181. n. 1 N. Obſt. IV. D. 140. Pariter etiam *indiſtincta locutio D. 181. n. 1. P.* VII. quòd exceptio, quæ nocet cedenti, opponi poſſit ceſſionario, *limitanda*, juxta *Dec. 140. n. 5. 7. P.* IV. niſi ſcilicet ex cauſa onerosâ, it. ſi non ex voluntate, ſed neceſſitate, facta ceſſio. Quamvis verò hæ Limit. præſertim quoad exceptionem compenſationis, quæ in rem eſt, de ſubtiliori juris ratione non procedant, (indeque videatur excidere Ceſſionarium credit ô ſibi ceſsò oportere, quando debitor ab ipſo conventus ei compenſationem objicit;) ceu ipſe Mev. *D. 140. num. 5.* teſtatur; & ex hinc cum aliis diſſentiat Frantzk. I. *Reſol. 13.* Struv. *Ex. 21. th. 5.* Tamen illas uſu fori obtinuiſſe, Illuſtr. Dn Lyncker. *in Anal. ibid. p. 197.* docet. confer Fab. in Cod. *IV. 23. def. 3.* Sand. III. *p. 17. def. 5.* Brunnem. IV. *D. 80.* modò tamen ceſſionarius non directis ſive mandatis actionibus; ſed utilibus & quaſi propriis, ex Reſcriptô Divi Pii, *l. 5. & ſeqq. C. de hered. & act. vend.* utatur. Fab. *XII. conject. c. 9.*

AD VARIATIONEM XXXIII.

VII. Dec. 193. N. Obſt. Ejusd. P. VII. D. 384. AN poſt finitam cauſam & dictam ſententiam, nudô partium conſensù, poſſint aboleri, aut circumduci, acta. Neg. per *l. 45. pr. de re judic.* Mev. VII. *D. 193. n. 2.* Videtur obſtare *VII. D. 384. poſt num. 3.* ubi dicitur; quòd acta non ſoleant partibus poſt finitam cauſam reddi; niſi re integra aut utriusque partis conſenſu. Sed jam in fine Variat,

riat. responsum, *ultimam D. 384. intelligendam secundùm D. 193. n. 4.* nisi scilicet aliæ circumstantiæ prohibeant, quò minùs partibus consentientibus mos geratur. Posset fortè addi: *prædicta verba, D. 384. n. 3. non conjunctim, sed separatim, esse accipienda:* nimirùm, post finitam causam non reddi acta, benè tamen re adhuc integrâ: id est, ubi nihil dum actum ante Litem contest.; vel etiam post hanc, partibus consentientibus, usq; ad sententiam, *per l. 45. pr. de re jud.* vid. *Gothofr. ib.* & secundùm allegatum Gail. *l. O. 134. num. 22.* videtur hæc, *Mevii* mens fuisse; neq etiam aliàs apparet, quid sibi vellent ye.ba: *Post finitam causam, nisi re integra.*

AD VARIATIONEM XXXIV.

AN *minor restituatur in integrum, si tutor vel curator, cujus negligentia læsus est, solvendo sit?* Affirm. *l. 2. 3. C. si tut. vel curat.* vid. sæpè memoratus Illustris Dn. Lyncker. in *Anal. ad ff. p. 84. pr.* Kettler. *Decis. 51. n. 26.* (quamvis ex præjudicio, *ibid. n. 24.* appareat, Rhintelenses JCtos contrarium respondisse;) adeò ut etiam, si minor ordinarium Remed. elegerit, tamē variare possit. *l. f. C. eod.* Consentit Mev. VII. *D. 286.* etiamsi in judicialibus læsus minor, *v. pr. n. 3. &c.* Sed videtur sibi reclamare *VIII. D. 80. n. 8.* At verò cùm *in hâc Dec. n. 5. 6. sententiam, D. 286. expressè repetat*, non credendum, quòd statim *num. 8.* sui adeò oblitus fuerit, ut contrarium assereret. Ergò *num. 8. commodè ita explicatur:* cùm curator ob malam administrationem conventus, opponeret, minori per beneficium restitutionis in integrum consultum esse, adeòque se non teneri: *v. n. 4.* ad manifestam hujus exceptionis absurditatem demonstrandum, videtur, *Mev. n. 8.* id tantùm inferre velle: Positò (non tamen concesso) secundùm communem

VII Dec 286. N. Obs. VIII. D. 80.

Dd.

D opinionem, iis, contra quos petitur restitutio, exceptionem aliquam, curatorem solvendo esse, competere: tamen inde non sequitur, etiam tutori vel curatori proficere, quòd restitutionis imploratione pupillus indemnis servari possit; propter apertam diversitatis rationem: culpa enim sua nemini prodesse & alteri nocere debet. *l. 14. de cond. indeb*

AD VARIATIONEM XXXV.

VII. Dec. 346. N. Obs. VIII. D. 112.

PRo meliori intellectu dicendorum, præsciendum, in VII. *D. 346.* quæri: An producto instrumentó sine protestatione, si etiam adversarius ex illo suam intentionem probare conatur, producens posteà illud hóc in punctô falsum aut imperfectum dicere possit? *v. pr. verb. fidem illius, & post n. 4. Neg. Mev.* ibid. cùm semel totum approbaverit; secùs si productioni protestationem adjecisset. Ne autem huic asserto, de protestatione, obstet *VIII. D. 112. n. 3.* ubi protestationibus effectum denegare videtur Distingv. erit *inter protestationem, quâ quis intendit evadere tacitam illam approbationem instrumenti, in passibus sibi nocivis invalidi aut imperfecti:* & *inter protestationem, quâ quis intendit impedire, ne productô instrumentô aliàs perfectô, adversarius in partibus sibi proficuis uti possit.* Illa protestatio, de quâ pro substratâ materiâ intelligenda, *VII. D. 346. n. 1. 2.* necessaria & omninò valida est: cùm quis non unicè se fundet in protestatione; sed in parte instrumenti per se non probante, modò ne videatur illam approbare. vid. Saccia. de Judic. *l. 2. c. 11. n. 50. effectu I. in f.* Hæc verò, quò pertinet *D. 112. n. 3.*, nulla est: cùm quis unicè se fundet in protestatione, quæ facto contraria. v. Berl. I *concl. 43. n. 21.* Heig *II. q. 4. n. 35.* quoniam instrumentum alias perfectum, per productionem fit commune. *Auctor. cit.* & quamvis hóc de capitulis connexis, non verò diversis, intel-

intelligi velit Cacheran. *D. 39. n. 26.* tamen dissentit Scaccia *d. l. n. 60.* ubi etiam in *seqq.* latiùs de effectu protestationum videri potest. Alii volunt etiam hanc protestationem, de quâ *in D. 112.* utilem esse in productione instrumentorum, *nisi adversarius statim instrumentum reproducat*, & protestetur, se hoc uti velle *in quantum pro se:* tunc producentis protestationem invalidari. Sed vid. Dissent. Jason. *in L. morte ejus, qui. num. 26. de nov. oper. nunciat.*

AD VARIATIONEM XXXVI.

Sub distinctione ex Berl. *I. D. 132. n. 7.* in fin. Variat. adducta, utraque Decisio *215. & 328.* bene se habet: scilicet quòd consors causæ invitô alterô consorte liti renunciare non possit; (præsertim, ubi speciali conventione de conjunctim lite peragendâ semet obstrinxerint,) *si hujus interest;* de quô casu agit *D. 215.* uti *expr.* apparet: secus verò, si quis renunciat *sine detrimentô* consortis. Sic capienda, *D. 318. & VII. D. 352.* neque tunc alter consortum amplius totam causam agit, sed tantùm de suô jure & interesse experiri potest. VIII. Dec. 215 N. Obst. VIII. D. 328.

AD VARIATIONEM XXXVII.

HIc ante omnia pro fundamentô conciliationis inquirendum erit, cujus sententiæ sit Mevius, in quæstione: *An ad omnem novationem, & sic etiam delegationem, probandam requiratur, ut animus novandi verbis sit expressus?* Hunc ad delegationem non requiri, sed istam factam esse, per urgentes conjecturas probari, cum communi Dd. scholâ, Hahniô ad Wes. *tit. de Novation. n. 8.* Bachov. *II. D. 29. th. 6. lit. a.* Gail. *II. Q. 30 n. 7. 8.* statuit Mevius II. *D. 240. 241.* & passim. vid. tamen Dissent. Carpzov. II. *Const. 19. def. 16.* Illustr. Dn. Lyncker. *ad ff. p. 445.* & *ad Instit. p. 216.* Quoad novationem in specie distingv. Mev. aut VIII. D. 391 N. Obst. II. D. 338.

 obli-

obligationes sunt *compatibiles*, & *dubium est*, *an prior obligatio sit sublata:* tunc expressa mentione animi novandi opus esse, *quò pertinet II. D. 338. n. 1. 6. 7. it. V. D. 56. in f.* Aut verò obligationes sunt planè *incompatibiles*, & *res de novatione non est dubia*; quando scilicet expresse inter partes actum, se priorem obligationem sublatam velle, & debitorem liberatum esse debere, *ùt in casu D. 404. n. 2. 3. P. V.* Tunc non necesse esse, ut animô novandi id actum esse, addiderint; cùm factô ipsô inita sit novatio, idq; satis eruditè in *d. D.* explicat. Consentiunt Menoch. III. *præs. 134. n. 39. &c.* Gail. *l. c. n. 3.* Frantzk. *Ex. XI q. 10.* Sic etiam præsumtiones validissimas admittit Brunn. ad *L. 2. n. 2. ff. de pignor. act.* (& tamen *ope exceptionis debitorem tantùm juvandum esse*, docet Illustr. Dn. Lyncker. *in Anal. ad ff. p. 444. in fin.*) Hæc erit mens Mevii circà L. fin. C. de Novat. nec ullibi videtur contrarium tradere. His præmissis *apparens varietas, inter D. 392. P. VIII. & 338. P. II se ipsam resolvit;* modò *casus diversi & circumstantiæ* probè attendantur. Qu. (1) quando unus plurium cohæredum *promittit*, se commune æs alienum soluturum, *creditor* etiam *hoc contentus*, & ab isto creditum petere *elegit*, an inde cæteri coheredes liberati? Affirm. Mev. VIII. *D. 392.* cùm is actus nil aliud sit, quàm *delegatio*, *v. num. 3. 4. 5.* Ad hanc enim requiritur substitutio novi debitoris, voluntas delegati & Creditoris illum recipientis: v. *L. 11. ff. de novat. l. 1. & 6. C. eod.* hæc omnia intervenisse, non poterat non colligi exindè, quòd unus cohæredum æs alienum solvere *promiserat*, & *creditor illô semel contentus*, ab isto creditum petere *elegerat*, & ejus *nomen bonum receperat.* Nunc autem, ùt suprà dictum, ad probandam delegationem, secundùm Mevium & *Dd. commun.* urgentes conjecturæ sufficiunt; ergò cœteri liberati erant. *Alia* verò est *ratio D. 338. P. II.*

(quæ

(quæ *de novatione in specie* agit,) hinc Quæst. (2.) quando filius defuncti debitoris creditum istius in se recipit, seque debitorem constituit: an exindè *novatio* facta probetur, & sic prior obligatio sublata? Negat rectè Mev. *d. D.* cùm hæ obligationes sint planè *compatibiles*; nam filius defuncti debitoris cum hoc pro unâ personâ habetur, sicque *in dubio novatio non præsumitur*, *v. n. 1. 5. 6. 7.* adeoque in casu *D. 338.* potiùs erat accessio, quam expromissio, nec beneficium separationis amissum esse dici poterat, cùm ibi creditor non inierat contractum alium eâ mente, (uti in *D. 392.*) quasi hæredem *eligendo*, quod tamen in *l. 1. §. 10. de separat.* requiritur, ut beneficium cesset. Obiter notandum quibusdam casibus, ubi scilicet nihil aderat, undè poterat colligi novatum esse, jam de Jure ff. ad inducendum novationem expressione speciali opus fuisse; uti ex *l. 58. de V. O. l. 29. & 31. §. 1. de novat.* patescit. vid. Illustr. Dn. Lyncker. *in Anal. ad Inst. p. 216.* ideò malè à quibusdam colligi, Tribonianismum in illis LL. latere, demonstrat F. b. III. *conjectur. 3.*

AD VARIATIONEM XXXVIII.

An, *si creditor immissus in bona debitoris, post aliquot annos possessionem amittat, & debitor illam sine spolio recipiat, ille statim sit restituendus.* Affirm. nisi justa exceptio illi obstet, *l. 1. § 5. Ne vis fiat ei, qui in poss.* qualis est *exceptio liberationis*, creditorem jam suum recepisse; modò tamen liberatio statim probetur: aut allegans tantùm fidei pro se faciat, ùt onus probandi contrarium in adversarium rejiciatur, quod fit ex præsumtione juris aut plurimis conjecturis, quæ illi æquiparantur. Mev. IX. *D. 36 v. post n. 6.* Cui non videtur refragari *D. 82.* ejusd. P. Cùm enim appellans, uti apparet ex *D. 36. post n. 6.* tàm *urgentia argumenta factæ liberationis proferret*, & hanc tàm verosi- IX. Dec. 36. N. Obst. ejusd. P. D. 82.

milem faceret Judici, *ut non aliter credi potuerit, quàm debitum jam esse exsolutum*, adeoque Judicem à quô iniquè exceptionem liberationis rejecisse: hinc non injustè processus appellatorii decreti, cùm hi in dubiô (multò magis, ubi *tanta argumenta iniquæ sententiæ à quô proferuntur*) non sint denegandi. Gail I. *O. 150. n 10.* Postquàm verò in discussione gravaminum, & causæ cognitione, illa, *quæ ad narrata appellantis vera præsupposita fuerant, longè aliter*; (utipatet *ex verb. post n. 8. D. 82. P. IX.*) *se haberent*, quòd scilicet exceptio liberationis, tàm verosimilis anteà facta, ex possessione priori non poterat colligi, aut in continenti doceri: hinc collapsô fundamentô, *D. 36.* cui decretum processus unicè innitebatur, secùs sentiendum erat. Præsuppositis igitur hisce circumstantiis ùtraque Decisiô firmô fulcrô gaudet.

AD VARIATIONEM XXXIX.

IX. Dec. 166. N. Obs. ejusd. D. 134. n. 8.

AN *decretô immissionis, ex L. fin. C. de Edict. Divi Hadr. toll. condemnatio de restitutione fructuum statim adjici possit?* Affirmativè decidit Mev. IX. *D. 166.* Oppon. ejusd. P. *D. 134. n. 8.* ubi ex Bald. *ad l. un n. 6. C. si de moment. poss* docet appellationem propterea admitti. Sed Resp. quoniam *in casu D. 134.* etiam propter *alias causas*, inter quas adducitur, quòd appellans contradictor legitimus esset, quem lex fin. ipsa excipit, &c. v. *n. 4. 5. 6. 7.*) *appellationem recipi placuit*: videri poterat Mevius solùm adjicere voluisse, quòd in fructûs quoque condemnatio facta esset; quasi hoc solum si fuisset, ad appellationem idoneum gravamen esse non potuerit: juxtà dicta *Dec. 166.* ut quæ non prosunt singula, juncta juvent. Cùm verò in casu *D. 166.* res statim *liquida* esset, & fructûs, ùt pars hæreditatem augens, hæreditariis bonis accensere oporteret: *vid. cit. Vopell. de usuris c. 4.* non immemor quidem

com-

communis sententiæ JCtorum, quæ regulâ nititur, *vid. pr.* ex officiô tamen prudentis & æqui Judicis utilius esse censuit non immeritò, ùt petitâ & decernendâ immissione, statim etiam de fructibus illô casu pronunciaretur: cùm Judici non conveniat citrà necessitatem lites augere. Conf. cit. Pract. Papiens. *in form. libel. pro hærede ex testam. in Gloss. ult. in fin.* Quâ ratione, quoniam, ultrà naturam possessorii illius ordinariam & regularem, Judex progreditur, nullum dubium est, quin tunc etiam appellatio, quamvis in d. Remedio locum non habeat; tamen vel ob hoc *solum gravamen* recipienda esset: non quòd *per se* iniquum sit, fructûs in hôc judiciô adjudicare; sed quòd in *illâ specie* Judicis sententiam, quæ tamen fortè talis non est, iniquam haberet appellans. Occurrit huic rei quid simile, ut idcircò *Mevius* exemplô non destituatur, in actione ad exhibendum, *l. 9. §. pen. ad exhib. §. 3. Inst. d. Off. Jud.* ubi v. Dn. Præsid. *in Analect. p. 280.*

AD VARIATIONEM XL.

AN *Creditores hæredi juramentum super solenni inventariò indistinctè deferre possint*, propter *l. f. § 10. C. de Jure delib.* disputant *Dd.* Heigius *l. q. 40. n. 21.* affirmat, etiam nullo defectu allegatô. Consentit Faber in Cod. *L. VI. tit. 11. def. 25. n. 2.* Brunn. ad *d. l. f. §. 10. n. 40.* adeò ut etiam hic ab hæredis hærede (quem tamen Hartm. Pistor. III. *Q. 126. & ibi* Schultes *in addit. n. 165.* absolvunt: add. Carpzov. III. *C. 33. def. 14.*) juramentum credulitatis præstandum esse velit. Negativam verò tuetur Carpzov III. *c. 33. def. 8. 9.* ubi quòd *demum in subsidium*, si solenne inventarium non adsit, aut, in hôc defectus verisimiliter demonstrentur, hæredi juramentum deferri possit. Cui sententiæ adstipulatur Mev. IV. *D. 92. n. 2.* & *D. 59. n. 3. 4. & VI.* VI. Dec. 116. N. Obs. IV. D. 92. & VI. D. 59.

 Putat

Putat quidē Brunnem. l.c. Mevium sibi contrariari VI. *D. 216.* At verò, uti in Variatione monetur, *agitur in hâc D. de juramento calumniæ*, quando hoc à creditoribus, heredi super inventariô juramentum deferentibus, exigi possit: ubi distingu. *aut adest inventarium solenne, aut non solenne:* hôc casu quia designatio bonorum non valet, nisi jurata, non posse exigi: quia lex juramentum defert, pars tantùm petit; secus illô casu, ubi super defectibus solennis inventarii, iis tamen nondum satis probatis, (ex quô patet, Mevium velle illos tamen debere verôsimiles factos esse, secundùm *D. 92. & 59.*) defertur hæredi juramentum, tunc juramentum calumniæ à Creditoribus exigi posse. Ex inspectione igitur *D. 216.* liquet, nullam adesse contrarietatem.

AD VARIATIONEM XLI.

II Dec. 94. 95. VI. Dec. 3 9. VII. D. 336. &c. N Obs. IV. D. 112.

AN *hodiè contra Reg. L. 38. § 17. de V. O. alter alteri stipulari possit?* Negat Mev. VIII. *D. 220. & 439.* II. *D. 94. VI. D. 319. post n. 10. VII. D. 336. n. 2.* &passim. Opponitur *IV. D. 112.* ubi de consuetudine contrariâ testari videtur. Sed cùm non inveniatur, quòd secundùm illam unquam deciderit, dicendum erit, quòd ibi *magis ex vulgari Dd.* (qui *exceptiones* à regulâ minùs rectè *moribus* imputant, vid. Illustr. Dn. Lyncker. *in Diss. de Pactis aphor. II.*) *quàm verâ suâ opinione loquatur*: hæc enim longè alia apparet ex d. *D. 220.* ubi ex solô illô principiô Juris Civilis in *l. 38. §. 17. de V. O.* appellatio recepta. Sufficiet ergò pro conciliatione, quòd *D. 112. ratio decidendi non in vulgari, quam putant consuetudine, sed in Exceptione à regulâ*, fundata sit, quoniam ibi per actum naturalem, ùt mutui dationem, alteri simul obligatio quæsita erat: quô casu *fallit* regula. vid. *L. 9. § 8. d. R. C. l. 127. §. 2. de V. O. l. 53. de A. R. D.* sicuti etiam in omnibus contractibus realibus, qui traditione rei nostræ, aut ejus, cui fit stipulatio, perficiuntur, cessat.

arg.

arg. l. 8. C. ad exbib. l. 5. C. si cert. pet. Vid. Illustris Dn. Lyncker, Patronus noster omni observantiæ cultu perpetim devenerandus. *in Anal. ad Instit. p 192. pr.* ubi adhuc aliæ exceptiones: quales etiam continentur in *P. II. D. 94.* ubi de fisco, cui acquiritur obligatio: it. *D. 95.* ubi quòd procurator Domino rectè stipuletur; & in *D. 319. P. VI.* ubi stipulantis & ejus, cujus gratiâ facta stipulatio, intererat. vid. Carpzov. II. *Const. 33. def. 26. 27.* Reliquas exceptiones tradit Ferdin. Arias de Mesa III. *Resolut. c. 50.* Interim eatenus regula est perpetua, ut nunquam alteri ex stipulatione alterius directa actio competat. Bachov. *ad* §. *1. Instit. de inutil. stipulat.*

AD VARIATIONEM XLII.

QVòd contrà sententiam in *D. 143. P. IX.* per *D. 193. ejusd. P.* restitutio in integrum concessa in eô facilè excusandus Mevius, nec exindè sibi contrariatur. Cùm enim *ab initiô status causæ ita formatus esset, quasi ex judiciô familiæ bercisc undæ*, de *acquirenda & dividendâ hæreditate, ageretur*, & appellati prætenderent, *hæreditatem aditam esse*, per sequentem declaretionem à prædecessoribus factam: *Si quid ex bonis, post solutum æs alienum, supererit, se in eô cum aliis cohæredibus succedere velle,* v. *D. 143. n. 2.* non potuit aliter, (cùm modi illi, ex quibus aliàs hæreditas non adita transmittitur, nempe ex jure suitatis, sanguinis, & deliberandi, de quibus vid. cit. Rauchbar II. *q. 15.* & eleganter Esbach ad Carpzov. III. *c. 14. def. 23.*, in specie facti deficerent,) quàm negativè decidi, per *l. 51.* §. *fin. de acquir. hæred.* nimirùm hereditatem non aditam non transmissam esse: Hæreditas enim purè non sub conditione adiri debet, cùm sit actus legitimus, qui non recipit conditionem aut diem; (scilicet hominis, benè tamen legis. Illustr Dn. Lyncker. in *Anal. ad Instit. p. 45.* §. *3. & p. 58. tit.*

IX. Dec. 143. Non Obst. ejusd. P. D. 193

tit. 32. pr.) *L. 77. de R. Jur.* Itaque hactenus *D. 141.* firmô nititur fundamentô. Postquàm verò (uti expresfsè in *D. 193. post n. 2.* dicitur,) deindè *aliter, & quidem rectè, controversia status poneretur,* non de hereditate, sed *de legitimâ sive portione statutaria,* (quæ filiabus Nobilium in Ducatu Bremensi, juxta jus Equestre, in bonis avitis, ùt heredes non succedentibus, v. *post n. 5.* debetur,) quæstionem esse, prior sententia *non tàm mutata*, quàm ad *justam* speciem facti *alia dicta:* nempè portionem illam ad hæredes transmissam esse: cùm expediti juris, quòd legitima, quæ in effectu pars bonorum, Illustr. Dn. Lyncker. in Anal. ad *ff. p. 101.* Carpzov. III. *Const. 12. def. 10. n. 3. 4.* non debeatur, nisi deductô ære alienô. *L. 8. §. 9. de inoffic. test.* Carpzov. I. *c. 28. def. 157.* adeòque hanc non posse peti, nisi sub conditione; imò talem declarationem, de quâ suprà, non requiri: nam & non agnita ad heredes quoscunque transmittitur. v. Hahn. ad Wes. *ad Tit. quand. dies legat. n. 6. in fin. p. m. 375.* Quod toties locum habet, quoties lucrum, sive portio aliqua, uti in casu *D. 193.* non defertur, ut hereditas, vel ut pars hereditatis: tunc enim sine agnitione transmittitur ad hæredes, v. Gail. II. *O. 131. n. 12, 13.* omninò Carpzov. III. *c. 14. def. 25. & 26.* Nihil igitur in dictis Decisionibus Judici imputandum, sed *diversimodè à partibus statu controversiæ formato, diversè* quidem, attamen ubivis secundùm solida juris principia decisum; prout Mevius in utraque Dec. accuratè demonstrat.

AD VARIATIONEM XLIII.

VI. Dec. 222. N. Obst. VI. D. 275.

Nunc denique cœteris obicibus remotis, ultimæ hujus Variat. conciliationi invigilandum erit. Ubi Quæst. *An relegatio & cætera pœna Academicæ sint tanti effectus & præjudicii, atque aliis extra Academiam irrogari solitæ?* Negat Mev. VI. *D. 222. n. 4. 5.* confer Cothm. Resp. *Acad.*

50.

50. n. 8. 9. Econtra verò affirmare videtur *D. 275. post n. 5. ejusd. P. ibi:* regeretur fortè, studiosorum carcerem & relegationem non esse tanti præjudicii & contumeliæ, atque aliis irrogari solitas. Sed valdè ineptè, non pro auctoritate Academicâ, quæ cladem non exilem passa, ex quô permissum est, eas pœnas parvi censeri, &c. Verùm responsum in Variat. *ultimum hoc intelligendum, secundùm D. 222. nisi pœnitentiam egerit studiosus & judici punienti satisfecerit:* quod tamen in aliis delinquentibus secus. Videtur itaque Mevius in *D. 275.* id tantùm intendere, quòd *ab ipsâ Academiâ,*(quæ sinè dubio hôc argumentô pro avertendis processibus, qui ibi contrà illam decernendi erant, usa,) *ineptè id regereretur,* cùm sit contrà auctoritatem Academicam. Non verò exinde apparet, Mevii mentem fuisse *indistinctè* statuendi contrà *D. 222. n. 4. 5.* nullam esse differentiam inter illas pœnas: nam in sequentibus *D. 275. mitiùs se explicare videtur,* dùm dicit, *pœnas Academicas famam juvenum apud viros sapientes sugillare, & non parùm* (ergò tamen *non in totum,* uti aliæ relegationes quæ extra Academiam imponuntur) existimationi nocere; id quod non negaverat in *D. 222.* dùm ante & post *n. 5.* expresſè dicit, *contumeliam illis inesse: attamen si eruditione & emendatione vitæ diluatur, nil maculæ post pœnitentiam relinquere.* Quid si fortè *D. 222. de relegatione simplici,* quæ existimationem quodammodò minuit Cothm. *Resp. Acad. I. n. 203. Decisio* vero *275.* intelligenda *de relegatione cum infamiâ, & aliis pœnis infamibus,* quæ ex causis famosis infliguntur. vid. Cothm. *Resp. Acad. 50. n. 103.* Sicque verbum *infamis* in *D. 275. post num. 4.* ad præcedentia referendum esset. Sed nos subsistimus. Habes igitur B. L. quæ ad indicendam concordiam præcedentium Variationum, pro modulô nostrô dicenda putavimus.

 mus.

mus. Si quædam convenienter dicta, tibi placere fac, quæ non, quò melior & doctior, eò æquiùs accipe. Vale. Tibi interim, D. T. O. M. pro concessis viribus sit laus & gloria.

COROLLARIA.

I.

Ex testamento, quoad solennitatem imperfecto, ne quidem naturalis oritur obligatio.

II.

Ut quis falsi accusari possit, non sufficit generalis, sed requiritur specialis facti à Lege Corn. notatio.

III.

Ad delegationem non præcisè requiritur, ut animus novandi verbis sit expressus.

IV.

Actio pro Socio datur etiam ad rerum communium divisionem.

V.

Si in ædibus locatis incendium ortum, locator contra conductorem non habet intentionem fundatam, sed debet hujus culpam probare. N. O. L. 3. §. 1. de Offic. præf. vig.

VI.

Si uxor instituta in usufructu bonorum, & post ejus mortem alius hæres sit illa: legataria loco est.

VII.

Mulier hæretica non gaudet SCtò Vellejanò.

VIII.

Maritus ab hostibus reversus, jure postliminii uxorem sine novô consensu non recipit.

IX.

Status Imperii non concurrunt ad exercitium Majestatis; sed tantùm ad modum exercendi.

X. Ju-

X.

Jurisdictio Episcopalis Ordinibus A. Conf. addictis per Pacem Religiosam non restituta, sed novâ conventione acquisita.

XI.

Feuda impropria, etiam vera feuda sunt.

XII.

Simultanea investitura non tribuit possessionem, nec proprietatem, sed est specialis juris in re species.

XIII.

Penes Ecclesiam non est merum Imperium, quia hoc jus Canon. ignorat.

XIV.

Non solùm de Jure Canonicô, sed etiam de Jure Civili dantur sponsalia de præsenti.

---

* * *

Concilias doctè MEVII DECISA, perinde
Tu Tibi Doctorum præmia *concilias*!

Votivus applausus,
quô
Nobil. Dn. Doctorandum,
Auditorem suum,
per aliquot annos,
maximè industrium,
meritò prosequitur

PRÆSES.

Jesus

Jesus!

Nobilissimo, Consultissimoq; Viro,

DOMINO

GUSTAVO CAROLO SCHARNHORSTIO,

Supremorum in Jure Honorum Candidato Sapientum calculo undiqvaqve probato

de

STUDIIS labore improbo, ordine scito, Magistris melioribus actis,

qvæsita SCIENTIA atq; EXPERIENTIA rebus summis haud impari,

&

præfulgente in omnibus actionibus CANDORE & infucatæ PIETATIS ZELO,

qvà potest, animi contentione gratul.


* * *

ALta petit virtus. SCHARRNHORSTIus, æmulus astrorum,
Astrææ lætus lucida templa subit!

GEORG. GOEZIUS, Past. Prim.
Consist. utriusq; Ass. Sup. Gen.

CÆsareas scimus leges & jura Quiritum,
Materiam laudis Te cupiisse Tuæ.
Invenit mens ista viam, panditque recessûs
Astræa, ingentes explicuitque sinus.
Ne sine teste sies, vis in certamina mitti
Indeque Summorum puncta referre Virûm.
I felix, quà te virtus vocat, omneque tollit
Sese splendidius, splendidiusque decus.
Cernere da doctum caput, atque ostende, labore,
Quantô constet Honos & Tibi prona Themis.

Honori Nobilissimi Dn. Doctorandi liberalissimo affectu tubant Ejusdem,
apud
Maxime Reverendum DN. GEORG. GOEZIUM
Superintend. General.
CONSALINI.



❦(o)❦